



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

Dispvtaio XVII. De integritate, & confeßione sufficienti in casu neceßitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

eius prosecutione: ergo malitia, quæ apparet in furto, retrahit in actu primo ab occisione: ergo reddit magis liberam ipsam occisionem. Respondetur distinguendo antecedens: quando illud ipsum, quod affert maiorem malitiam, non amatur, nec impellit concedo: propterea contingit in voto: quod quidem non impellit, ad fornicationem: quando verò id, quod affert novam malitiam, impellit, & mouet ad amorem, nego: propterea contingit in casu nostro; nam furtum, quod affert illam novam malitiam, illud ipsum est, quod mouet, & impellit ad occidendum vel aliter, (& in idem recidit) distinguere potest idem antecedens: sed plus retrahitur voluntas, quam si finis non afferret malitiam, concedo: quam si finis non moueret, nego. Est itaque magis libera occisio propter furtum malum, quam si furtum esset bonum: non est tamen magis libera quam si furtum non amaretur, quia furtum impellit ad occisionem: & licet malitia furti aliquantulum retrahat, multò magis impellit amor lucris illius ad occisionem; atque adeo omnibus pensatis, volitio occisionis magis decessit in libertate ex fine furandi proposito, quam crescat ex eo, quod malitia furti possit retrahere ab occidendo.

DISPUTATIO XVII.

De integritate, & confessione sufficienti in casu necessitatis.

SECT. I. An possit absolui infirmus, qui vnum solum peccatum dicere potuit; & qui, si dixit solum peccatum in Communi?

SECT. II. An qui nullum peccatum dixit, sed exhibuit doloris, & contritionis signa, possit absolui?

SECT. III. Virum qui confessionem non petiit, nec dedit signum penitentiae, possit aliquando sacramentaliter absolui?

SECT. IV. Virum qui absente Confessario petiit confessionem, & ostendit penitentiae signa, possit ab illo post ea superveniente absolui quando iam est sensibus destitutus?

SECT. V. Explicantur aliquot dubia circa præcedentem doctrinam.

DIXIMVS de integritate confessionis per se requisita: nunc dicendum de ea, quæ per accidens sufficit propter necessitatem: quæ quæstio potissimè locum habet in moribundo, qui propter vim morbi non potest omnia, vel etiam vllum peccatum explicare. De quo aliqua solent dubitari: incipimus à facillioribus, ut postea ad difficiliora veniamus.

SECTIO I.

An possit absolui infirmus, qui vnum solum peccatum dicere potuit; & quid si dixit solum peccatum in communi?

Errum est apud omnes, quando periculum imminet, ne infirmus ante absolutionem moriatur, sufficere, quod dixerit vnum peccatum, ut Possit absolui, licet Victoria relectione de confessione,

num. 164. dixerit, quod de hoc poterat dubitari; omnes tamen id concedunt. Videatur Suarez *disputatione 23. sectione 1.* Valquez *questione 91. articulo 2. dub. 1. n. 1.* & alij, quos affert Henriquez libro 5. c. 22. n. 3. & Bonacina *disput. 5. de Sacramentis quest. 5. sect. 2. p. 2. §. 4. diff. 4. n. 17.* Aduertendum, tamen est cum Suariorum, & aliorum, in prædicto casu debere penitentem confiteri primo loco materiam necessariam, scilicet mortale aliquod non confessum; debere item, si tempus superest post absolutionem acceptam, proseguere confessionem, & confiteri alia peccata; denique necessitatem hanc posse occurrere non solum causa penitentis; sed etiam ipsius Confessarii, ut si non possit absque periculo audire totam confessionem, v.g. tempore belli, aut propter morbi contagium, propter quod periculum tempore pestis posset, auditis paucis peccatis, facere, quod se accuset penitens de aliis in genere, & cum absolueret, ac discedere ut notat Coninch. *disp. 7. n. 73.* Ratio omnium est, quod integritas formalis confessionis solum exigit, quod dicantur ea peccata quæ dici possunt; quare sicut non est contra integritatem, quod omittantur aliqua propter naturalem obliuionem, vel propter aliud damnum quod ex confessione eorum timetur; sic nec erit, quod omittantur propter impotentiam illam moralem. Vnde aliqui dicunt, idem procedere, quando infirmus nimis fatigatur in explicatione peccatorum. Henriquez *ubi supra in glossa littera L.* & Bonacina num. 9.

Circa hoc dubitari potest primò, Si Sacerdos postquam cepit audire confessionem, morbo corripitur, & timeat, se morituum ante finem confessionis, an possit statim absolutionem dare. Soto *in 4. dist. 18. q. 2. art. 1.* absolute affirmat. P. Suarez in præfati *disp. 23. sect. 1. in principio* reigit hunc casum, sed addidit limitationem, scilicet, quando mors ipsius sacerdotis imminet, & non est alius Minister, quam etiam addidit Valquez *quest. 91. art. 2. dub. 2.* quibus verbis innuunt, non posse absolueret, quando penitens potest recurrere commodè ad alium Confessarium, cui omnia peccata integre confiteatur; quod etiam alij Theologi dixerunt alioquin absque iusta causa, aut necessitate dimidiaretur confessio.

Aliis tamen videtur, etiam si sit alius Minister, apud quem confessio integra fieri possit, Sacerdotem illum posse absolueret directe ab illis, quæ audiuit, quia semper adest iusta causa dimidiandi confessionem, nempe ne penitens cogatur illa peccata, quæ iam confessus erat apud legitimum iudicem, iterum apud alium confiteri, ex ipsa enim confessione acquisiuit ius ad absolutionem, quo iure non debet Confessarius illum fraudare. Et quidem Auctores illi qui dixerunt, posse communiter superiorem audire penitentem, quoad reseruatam, eumque absolueret, & postea remittere pro aliis ad inferiorem, & hoc propter occupationes, quas superior habet; consequenter deberent concedere in nostro casu, posse Sacerdotem absolueret ab iis, quæ audiuit, cum maior sit causa ex parte ipsius Confessarii. Cæterum quia illi Auctores communiter, licet minus consequenter, dicunt, penitentem absolutum à superiore à solis reseruat debere postea integram confessionem facere apud inferiorem de reseruat, & non reseruat; ideo non possumus illos Auctores pro hac sententia afferre.

Existimo itaque, quando alius Minister non est, vel timetur, quod penitens diu carebit hoc sacramento, posse Sacerdotem ab iis, quæ iam audiuit, absolueret, quia illa est causa legitima, faciendi confessionem non materialiter integram. Quando tamè commodè possit penitens ad alium recurrere, cui integrè

integrè confiteatur, non videtur sufficiens causa dimidiandi confessionem. Hoc videtur esse iuxta communem sensum Theologorum; nam in illo casu, quando habens casus reſeruat adit prius ſuperiorem, ij, qui dicunt, poſſe ſuperiorem audire ſola reſeruata, & abſolvere ab illis; addunt tamen debere poſtea confessionem integram fieri de omnibus apud aliud Confefſarium: illi verò, qui dicunt, non debere pœnitentem iterum inferiori confiteri peccatum reſeruatum, à quo ſolo fuit per ſuperiorem abſolutus, dicunt tamen, non eſſe cauſam ſufficientem illud onus conſitendi bis idem peccatum, vt ſuperior poſſit dimidiata confessione ab illo ſolo abſolvere; ſed audito illo, ſi non poſſet audire alia, debere auferre reſeruationem, & remittere ad alium confefſarium, cui integrè confiteatur, vt cum Suariorum *infra diſp. 31. ſect. 1.* communiter docent Recentiores. Non exiſtimatur ergo cauſa ſufficiens dimidiandi confessionem illud ſolum onus conſitendi eadem peccata apud alium.

Secundò, quia hoc eſſe videtur iuxta communem uſum, ſi enim accedat ad me pœnitens, ac dicto vno, vel duplici peccato ego aduertam, me illius idioma capere non poſſe, non debeo illum à duobus peccatis, quæ dixit, abſolvere, ſi adest alius confefſarius illius lingue gnarus, cui poſſit ſtatim integrè confiteri. Item ſi pœnitens dictis multis peccatis non reſeruatis, dicat poſtea vnum reſeruatum; non debeo ego à non reſeruatis abſolvere, ne iterum cogatur ea confiteri, ſed debeo mittere ad ſuperiorem, vel ad habentem facultatem, à quo poſſit integrè abſolui; ergo illud onus ſolum conſitendi iterum eadem peccata non eſt ſufficiens de ſe ad dimidiandam confessionem. Ratio autem eſſe poſſe, quia ſicut ſi confefſarius audiat totà confessione moretur ante datam abſolutionem, debet iterum pœnitens totam confessionem repetere apud alium, huic enim periculo ſe expoſuit, dum cepit huic confiteri: ſic ſi caſu aliquo impotens fiat audiendi integram: nam huic etiam periculo ſe expoſuit, quod prouenire poſſet ex caſibus fortuitis. Quibus non debuit prouidere inſtitutio ſacramenti cum præiudicio integritatis confessionis.

Secundò, circa hoc ipſum dubitari poſſe, quando Sacerdos cepit audire confessionem ægroti, & condixit perficiendam die ſequenti, tunc autem inuenit eum ſenſibus deſtitutum, an poſſit eum abſolvere. Affirmatiuè reſpondent Ioannes Chapeavilla tract. de modo miniſtr. ſacramenta tempore peſtis, cap. 3. quaſt. 13. Zambranus de caſu tempore mortis, cap. 4. dub. 2. ſect. 7. num. 41. Diana 2. tom. tractat. 3. de abſolutione moribundi, reſolut. 6. dummodo non conſtet, mutaſſe voluntatem pœnitendi; & certè hæc mutatio non poſſe, faciliè præſumi in illo articulo: imò neque ſi ſanus inceperat confessionem generalem perficiendam die ſequenti, quo repente inuenitur ſenſibus deſtitutus. Vnde conſolui aliquando abſolui quendam Canonicum moribundum, qui ante morbum confefſus fuerat cuidam Parocho, qui dubitauerat, an capax eſſet abſolutionis propter amentiam, quam pari ſolebat: conſului tamen vt idem Parochus virtute illius confessionis; de cuius valore dubium habebat, eum abſolveret ſub conditione; quia & propter amentiam, & propter tempus breue interceptum poterat præſumi perſeuerare moraliter eadem voluntas obtinendi abſolutionem, quam Parochus dicebat ſe noluiſſe in confessione impendere.

Maior eſt difficultas; quando pœnitens nullum peccatum in particulari confitetur, ſed ſolum in genere dicendo, ſe multa peccata commiſiſ-

ſe, & poſtea ſenſibus deſtitutus eſt, an poſſit virtute illius confessionis abſolui. Negant plures, ſunt præſertim Soto, Canus, Abulenſis, Ledefma, Nauarros, apud Valquez in præſenti quaſtione 91. articulo 2. dub. 1. numer. 2. Conradus, Medina, Nugnus, Alvarez, Coquetius, Auila, Graſſius, Pedraza, Angles, apud Dianam dicto tractat. de abſolutione moribundi, reſolutione 1. Horum tamen aliqui concedunt, poſſe abſolui, ſi peccatum dixit in genere ſobalterno, licet in ſpecie inſima, vt ſi confefſus eſt fornicationem. Alij dicunt poſſe abſolui, ſi dixit, ſe moraliter peccaſſe, quia iam explicat in particulari aliquid, quod poſſit dirigere ad aliquod iudicium faciendum.

Contraria ſententia affirmatiua communis iam eſt, quam tenent Antoninus, Ioannes Medina, Corduba, Angelus, Richardus, quos reſerunt, & ſequuntur Valquez, ubi ſuprà, numer. 3. & Suarez diſputat. 23. ſect. 1. Salas in 1. 2. tractat. 8. diſput. unica, ſect. 5. num. 16. Torrianus de Pœnitentia, quaſt. 9. diſput. 30. dub. 2. Coninch diſput. 7. dub. 10. numer. 97. & alij innumeri recentiores, quos reſert, & ſequitur Diana dicta reſolutione 1. quibus addi poſſunt Driedo de captiuit. tractat. 2. cap. 4. Corduba item quaſtione 39. de indulgent. part. 2. Fauet item S. Thomas in 4. diſput. 21. quaſt. 2. art. 1. ad 1. quatenus dicit, confessionem generalem poſſe aliquando eſſe ſacramentalem. Denique habetur iam in Rituali Romano Pauli Quinti, vt infra videbimus.

Fundamentum primum huius ſententiæ deſumitur ex decretis Conciliorum, & Pontificum, quæ tamen commodius referemus poſtea ſect. 4. Nam ſi dicunt, abſolucendum eſſe eum, qui petit confessionem, à fortiori abſoluendus erit, qui dixit peccatum in communi.

Secundò probatur ratione maniſeſta: quia integritas confessionis, quoad ſpecies, numerum, & circumſtantias, non eſt ita neceſſaria, vt iuſtis de cauſis non poſſit ſæpè omitti, vt vidimus: vnde propter periculum, quod timetur, taceri poſſe ſpecies peccati, & propter obliuionem, ignorantiam, &c. ergo à fortiori propter impotentiam, qualis interuenit in caſu noſtro, in quo pœnitens explicat ſuum peccatum, quantum poſſeſt, & per conſequens facit confessionem non materialiter, ſed formaliter integram: nam ſicut eſt neceſſarium explicare ſpeciem peccati, ſic neceſſarium eſt dicere omnia, & ſingula peccata, nec aliter de vna, quam de alia neceſſitate loquitur Trident. ſeſſ. 14. num. 5. & canone 7. Ergo ſicut poſſeſt ſtare valor ſacramenti non explicatis omnibus peccatis, maximè quando ob impotentiam non explicantur; ſic poterit validum eſſe ſacramentum, licet ob impotentiam non explicetur ſpecies peccati in particulari.

Confirmatur eadem ratio; quia confefſio peccati in genere poſſeſt eſſe materia neceſſaria huius ſacramenti; ergo, & poſſeſt eſſe materia ſufficiens. Antecedens conſtat in eo, qui recordatur ſe peccaſſe mortaliter, & oblitus eſt omnino ſpeciei illius peccati: debet enim illud in genere confiteri, prout eſt in conſcientia ſua: item ſi recordetur ſe peccaſſe, & oblitus ſit ſpeciei, & grauatis, ita vt nefeiat, mortalitèr, an venialitèr, debet hoc ipſum dubium confiteri. Ergo peccatum in genere eſt materia neceſſaria confefſionis; ergo eſt ſufficiens quod attingat ad valorem. Probatur conſequentia; quia nihil debemus in confessione confiteri, niſi in ordine ad abſolutionem: ſi ergo debemus confiteri peccatum illud

6.
Quid ſi die
ſequenti in-
uenit pœni-
tentem ſenſi-
bus deſtitutū.

7.

illud in genere, illud erit capax absolutionis. Item potest contingere, quod moribundus non habeat aliam materiam necessariam confitendam, nisi peccatum mortale certum, vel dubium in genere, cuius speciei non recordatur: & tamen illam tenetur confiteri: ergo illa materia est capax absolutionis sacramentalis: ad quid enim debet illam confiteri, nisi ut remissionem ab Ecclesia consequatur.

11. Pro parte negativa obicitur primò: Quia materia huius Sacramenti debet esse confessio; illa autem non est confessio: nullam enim dat notitiam novam Confessario de statu penitentis cum solum manifestet esse peccatorem in genere; quod quidem iam sciebat Confessarius, cum omnes simus peccatores. Respondeo, illam esse confessionem, de cuius ratione solum quod sit accusatio: non est autem de ratione accusantis, nec accusante, tunc autem tenetur. Est ergo de ratione accusationis, quod ex se deferat aliquam notitiam delicti, siue eam iam haberet iudex, siue non haberet, & petat remedium, implorando iudicis officium: quando enim Dæmon Homines apud Deum accusat, non dat Deo notitiam, quam iam non haberet, & tamen dicitur propriè accusare, quia implorat officium Dei in puniendis peccatoribus.

12. Obicitur secundo: Quia hoc Sacramentum est iudicium: iudex autem non potest prudenter iudicare, nisi cognita causa in particulari, & inde Tridentinum probat necessitatem explicandi speciem peccatorum, quia Confessarius est iudex. Respondeo, hoc argumentum probaret, non esse validam absolutionem etiam si dicitur vnum peccatum mortale solum in particulari, & alia propter impotentiam non dicantur; quia in Tridentino ex eadem ratione iudicij colligitur necessitas confitendi omnia, & singula peccata: omnes ergo debemus dicere, hoc iudicium per se loquendo, & ut debito, & exacto modo fiat, exigere notitiam de speciebus, & de numero omnium peccatorum: quando verò ea notitia haberi non potest, sufficere notitiam completam, & tunc iudicium etiam incompletè exerceri, directè iudicando solum de illo peccato, & sub ea ratione, sub qua manifestatur, itaque Sacerdos iudicat de illo solo peccato quod audit: non de aliis, & ab illo solo directè absoluit; & in casu nostro iudicat solum de peccato in genere, & ab illo sub ea ratione absoluit. Ad iudicandum autem de hoc solo peccato, & sub hac solum ratione sufficit hæc sola notitia, ut constat. Vide aliam solutionem apud Vasquez *illo dub. 1. num. 36. & 37.*

13. Sed contra hoc potest esse tertia obiectio, quæ meo iudicio, est potissimum argumentum illius sententiae, quia absolutio sacramentalis debet ad aliquid directè terminari: in casu autem nostro nihil potius directè remitteretur per illam absolutionem: nam id quod directè remittitur: non debet iterum ex necessitate subiici clauibus: ille autem infirmus deberet postea omnia peccata distinctè confiteri: nullum ergo ex illis directè fuit per claus remissum: ergo nullius confessio suscepit directè formam absolutionis.

14. Solutionem huius argumenti remissimus ad hunc locum *disp. præced. sect. 14.* ad quod Suarez (ut ibi dixi) solum dicit, absolutionem tunc terminari directè ad peccatum secundum rationem communem, in qua convenit cum aliis. Hoc ta-

men ipsum difficile apparet; nam ratio communis, vel est aggregatum confusum ex omnibus inferioribus, vel certè est aliqua pars metaphysica illius peccati: neutrum autem videtur terminare absolutionem, non quidem aggregatum confusum; quia iam omnia illa peccata essent directè remissa; nec esset obligatio ea iterum confitendi; sed neque etiam aliquid illius peccati esset directè remissum; quia absolvere directè ab aliquo peccato, est cedere directè Deum iuri, quod habebat ad auersionem propter illud peccatum. Quando ergo Deus directè remittit adulterium, v. g. secundum rationem communem peccati mortalis, quod solum penitens explicaret, peto cui iuri ad auersionem cedat directè Deus? Nam si Deus non remitteret indirectè cetera omnia peccata, stante sola illa remissione directa adulterij secundum rationem communem, nonne Deus irasci posset propter rationem specificam adulterij? Ergo tanta auersione, quanta prius. Nam gravitas specifica adulterij includit rationem communem offensæ diuinæ gravis, quæ transcendit eius differentiam, & quia alioquin deberet explicari & determinari, quantum minuatur ex auersione Dei propter illam remissionem directam adulterij secundum rationem communem, quod quidem est impossibile: quia debet retineri auersio debita adulterio, secundum id, quo excedit minimum omnium peccatorum mortalium inclusum sub ratione communi: non est autem assignabile minimum peccatorum possibile, ut suppono: & licet assignabile esset, adhuc non videtur solui difficultas; sed redire, quia si peccatum, cuius speciei oblitus erat penitens, fuisset illud mortale minimum, sequeretur quod postea quando in memoriam rediret, non esset obligatio illud iterum confitendi secundum speciem, quia iam fuisset remissum directè secundum totam suam gravitatem, & malitiam, & nihil prorsus illius remaneret directè remittendum: consequens autem est falsum, cum semper maneat obligatio confitendi speciem, & hoc, ut directè remittatur.

Propter hæc dixi, illud argumentum esse, quod difficilius videri poterat pro contraria sententia: illud tamen non cogit: possumus enim adhuc sufficienter declarare, quid sit remitti directè peccatum solum secundum rationem communem. Pro quo aduerto, in his, quæ non solum includunt actionem physicam, sed etiam intentionalem, non esse necessarium, quod semper designari possit id, ad quod terminatur actio agentis, pro ut tendit ex tali intentione directa: quia cum actio intentionalis terminari possit ad aliquid commune, & indeterminatum: potest ex ea parte quatenus effectus correspondet actioni intentionali, esse aliquid indeterminatum. Exemplum, quo alibi usus sum ad hoc explicandum est: Si Deus, v. g. promitteret alicui, non punire illum in æternum: stante hac promissione, Deus teneretur aliquando cessare ab eius punitione, non tamen teneretur hoc anno, nec sequenti, nec post mille annos, nec post millia millium. Unde quotiescumque cessaret, intercederet noua liberalitas, & gratia Dei; siquidem ex sua promissione non tenebatur ad tunc cessandum; ceterum non posset unquam Deus ponere illud præcisè, ad quod tenebatur, quin poneret simul aliquid ad quod non tenebatur, atque idèò promissio illa obligaret directè Deum ad aliquid commune, & indeterminatum, quod nonquam posset poni, quin directè poneretur aliquid determinatum supra illud, quod sufficeret ad obseruandam promissionem.

Sic ergo in casu nostro dicimus, per remissionem

15.

16.

nem directam adulterij secundum rationem communem peccati mortalis, Deum se directe obligare ad non irascendum propter illud peccatum sicut antea; quantum autem debeat indignationis & auersionis remittere, non continetur in illa promissione, qua posset minus & minus remittere, sicut possent esse minora, & minora peccata mortalia, quæ continentur sub illa ratione communi peccati mortalis. Quidquid autem indignationis gravis Deus remitteret, iam poneret, plus quam debebat, quia minus potuisset. Hinc est Deum remittere indirecte illud peccatum sub ratione adulterij, quia illam gravitatem indignationis potuisset retinere ferè totam, remittendo aliquid illius. Unde sicut in exemplo posito, ille, à quo puniendo Deus cessaret, deberet Deo novam gratitudinem pro quolibet anno sequenti, siquidem illo etiam anno potuisset Deus illum punire adhuc post promissionem non puniendi in æternum, & nullus esset annus in tota æternitate, pro quo non deberet specialem gratitudinem propter eandem rationem: sic nullus est gradus determinatus gravitatis, vel malitiæ in adulterio quem Deus non remittat indirecte, siquidem potuisset minus indignationis remittere ex vi præcisæ remissionis, qua remittit illud sub ratione communi, atque idè nullus est gradus malitiæ determinatæ gravis, qui non debeat explicari postea, quia indignationis illi correspondens remissionem non afferebat directe remissionem directam adulterij secundum rationem communem. De facto tamen Deus remittit indirecte & totam gravitatem propriam adulterij, & omnia alia peccata mortalia.

17.
Quid si dicat
peccatum
veniale in
genere?

De peccato autem veniali, quando aliquis confiteretur se fecisse unum peccatum veniale cuius speciei non recordaretur, dubitari posset, an Deus, remittat tunc indirecte totam malitiam specificam, quam habuit illud peccatum veniale, an verò partem illius. Idem autem dubitari posset, quando aliquis confiteretur unam solam malitiam specificam alicuius peccati venialis, in quo tamen fuisset duplex malitia specifica, ut si fuit mendacium leve cum levi etiam detractio, & pœnitens se accusat de mendacio, & non de detractio, tunc enim etiam dubitari posset, an remittatur utraque malitia, an verò sola illa, quæ datur pro materia, quæ sola videtur remitti directe. Ex dictis tamen *disp. 8. dubio incidenti post sectionem. 2.* dicendum videtur, quod licet ex natura rei non repugnaret remitti inadæquate, & particulariter reatum culpæ; de facto tamen credibile est, semper remitti totum reatum culpæ simul: ita ut sicut peccatum mortale remittitur semper totum simul: sic etiam peccatum veniale non remittatur per partes, licet id fieri non repugnaret. In peccato autem mortali est necessarium quod remittatur totaliter, eo quod remittitur per infusionem gratiæ sanctificantis, quæ emundat ab omni macula peccati mortalis: licet non intendatur formaliter & directe mundatio ab omnibus per absolutionem, sed ab iis, quæ subiiciuntur & sub ea ratione, sub qua subiiciuntur. Sic etiam quando in eodem peccato fuit duplex malitia mortalis, v. g. fornicationis & violationis voti, & pœnitens explicat solam primam immemor secundæ, absolutio remittit directe solum quoad primam malitiam, non quoad secundam; hoc est Deus per absolutionem obligatur ad non irascendum contra illum hominem, quia fornicatus est; non tamen se obligat directe ad non irascendum, quia violavit votum sed potuisset hanc partem auersionis retinere, quam tamen de facto indirecte remittit, sed remanet obligatio

illam malitiam confitendi, quia non est directe per Ecclesiam remissa.

Obiici etiam posset contra hoc, quod ille, qui se accusat de peccato mortali in communi, videtur se in dubio accusare de hac, & illa specie peccati: ergo sicut qui se accusat de consensu turpi dubiè, absoluitur directe ab illo, sic qui se accusat de peccato mortali in communi, absolvetur directe ab illa specie peccati, quàm de facto commisit. Ad hoc tamen respondimus supra *disputat. præcedenti sect. 14.* ubi rationem differentie reddimus.

Ex dictis infero primò, tempore naufragij, aut incendij, quando tempus non est audiendi singulos integre, non solum posse, sed debere Confessarium audire à singulis id solum, quod potest sine præiudicio aliorum, quia ut notavit bene Vazquez *9.91. art. 2. dub. 2. n. 2.* tenetur ex misericordia aliis subvenire, & ad eum finem singulas confessiones non perficere: quia addit, si Confessarius scrupulo turbatus detineretur, ipsum pœnitentem, qui aliorum periculum videret, posse & tunc non perficere confessionem, quia tenetur aliis succurrere, & Sacerdotem non detinere. Possent etiam tunc, quando imminens periculum aliud non permitteret, omnes simul aliqua peccata confiteri, & ostendere dolorem, & omnes simul eadem formam absolutionis absolvi, ut cum aliis notat Coninch *disput. 7. dub. 9. n. 74.* & Fagundez de *2. præcepto Ecclesiæ lib. 2. cap. 3. n. 11.*

Infero secundò, in casu nostræ questionis, quando infirmus unum peccatum in genere dixit non solum posse, sed debere ex obligatione absolvi, quia cum possit Sacerdos licite amplecti illam sententiam tot & tantorum Doctorum, & absolvere sub conditione, quod prodesse potest ægroto ad æternam salutem, tenetur ex charitate erga proximum subvenire illi eo modo, quo potest, ne fortè habens attritionem solam damnetur, qui cum beneficio absolutionis saluus fieret, quod cum Suario, & Vazquio obsecravit Recentiores communiter, quos congerit, & sequitur Diana *dicto tract. de absolutione moribundæ resol. 9.*

Infero tertio illud, qui solum dixit veniale in communi, posse etiam, & debere in eodem necessitatis articulo absolvi: quia sicut peccatum in communi est materia sufficiens absolutionis, ita veniale in communi, & aliunde fieri potest, quod per illam absolutionem iustificetur à mortalibus, quorum non recordatur: non est ergo illi periculo relinquendus, cum possimus ei facile subvenire.

Infero quarto contra aliquos; pœnitentem etiam, de quo dubitatur an habeat usum rationis, & qui constituitur aliquod veniale, absolvendum sub conditione, & hoc non solum in mortis articulo, sed etiam extra illum. Et quidem quando videtur præceptum Ecclesiæ de confessione, non videtur dubium, quod sit absolvendum si aliquod mortale dubium confessus est, ne fortè capax sit, & non satisfaciatur præcepto divino & Ecclesiastico. Sed etiam si peccatum veniale solum dixerit, videtur absolvendum, tum ne privetur gratia illa sacramentali quam recipere posset, tum etiam, quia fortasse habet aliquod mortale, quod ignorat & à quo per illam absolutionem posset indirecte iustificari.

Infero quinto quid dicendum sit de Sacerdote, qui dicta confessione generali in principio Missæ statim loquelam amittit, & sensum vsum, an virtute illius confessionis generalis, qua se peccatorem confessus est, possit sacramentaliter absolvi. Respondet

Respondeo enim negatiuè cum Layman, *libr. 5. tract. 6. c. 8. contra Philibertum Marchinum in tract. de peste, part. 3. cap. 13. n. 15.* quia confessio illa non fuit sacramentalis, neque in ordine ad clauas, propter requiritur ad absolutionem, sed fuit oratio quædam ad alium finem prolata: alioquin Sacerdotes, qui quotidie celebrant, vel Ministri, qui eis in Missa respondent, possent in quacumque necessitate absolui cum hodie, vel heri confessionem generalè dixerint.

SECTIO II.

An qui nullum peccatum dixit, sed exhibuit doloris, & contritionis signa, possit absolui.

Ratio dubitandi est, quia hic nec in genere, nec in specie confitetur peccatum aliquod, sed solum ostendit se habere dolorem de peccatis: in hoc autem Sacramento diuersa pars est contritio, & diuersa confessio. Non ergo sufficit contritio etiã exterius manifestata, nisi adsit etiam aliqua confessio, quæ sit accusatio & materia proxima Sacramenti.

Norandum est, hæc signa contritionis dupliciter posse exhiberi; primò in ordine ad confessionem, & ad clauas Ecclesiæ, vt si Confessario ipsi dicat, se dolere de peccatis; se petere à Deo veniam peccatorum, se velle confiteri, ad obtinendam veniam peccatorum. Secundo, possunt exhiberi sine vlla mentione confessionis, vt si præsentem Confessario, tundat pectus, dicat, *Miserere mei Deus*, & his similia. Quid autem si ante aduentum Confessarii hæc faciat, dicemus *sect. 4.*

Hoc supposito: quando signa contritionis exhibentur primo modo, ea sufficere ad absolutionem dandam, si iam alia confessio extorqueri non possit, docent omnes, quos pro nostra sententia attulimus *sect. præcedenti*: quia illa etiam est confessio peccati saltem in genere; nam qui confessionem petit, & id Confessario manifestat, vel dolorem de peccatis, vel quid simile; iam illi manifestat se peccasse, & velle in foro sacramentali sententiam obtinere, quare iam ponitur confessio eo modo, quo potest. Nec obstat, confessionem debere esse partem distinctam à contritione, quia, quamuis sit distincta, potest tamen contritio manifestari per ipsam confessionem. Sicut ergo aliquando sola confessio manifestat dolorem: sic aliquando manifestatio sola doloris poterit esse confessio peccati, quia qui dicit se dolere de peccato, & petit remedium, iam eo ipso fatetur, sed indigere tali remedio.

Maiores est difficultas, quando signa doloris ponuntur secundo modo sine ordine explicito ad clauas, vel ad confessionem. Tunc enim multi videntur negare posse conferri absolutionem. Ita docet expressè Suarez *dicta disp. 23. sect. 1. num. 13. vbi sic ait: Est autem attentè obseruandum. Non satis esse adhibere signa contritionis (quod forte voluit Abulensis supra) sed necessarium esse illa adhibere in ordine ad clauas; quia contritio, vel manifestatio eius per se non est sufficiens materia Sacramenti penitentia, sed quando informat confessionem aliquam, cum qua perficit accusationem sacramentalem, & hoc est exhibere signa in ordine ad clauas. Vnde, quantumvis infirmus se ostendat deuotum, & contritum, si nullam fecit mentionem confessionis, & in eo statu sensum amittat, non potest sacramentaliter absolui; quia illa contritio non est relata ad clauas, neque ibi interuenit aliqua confessio etiam generalis. At vero cum exhibet illa signa, petendo confessionem, seu vocando Sacerdotem, iam est materia sufficiens. Idè videtur supponere Pater Vaquez *illa q. 91. art. 2. dub. 1. num. 1. vbi de illo solum P. Ioan. de Lugo de Penitentia.**

casu loqui videtur, quando dicit absolui posse Sic enim proponit questionem: *Tota difficultas est, quando nullum potest præbere signum peccati in particulari, sed signa tantum in genere, quibus se confiteatur esse peccatorem, & confessionis Sacramentum petat.* Eandem limitationem apposuit Bonacina loco citato, num. 9. his verbis: *Hinc patet in articulo mortis absolui posse penitentem, qui petit confessionem, aut signa doloris ordinata ad confessionem exhibuit.* Et paulò post: *absolui posse eum, qui solum in genere dat signa contritionis, stringendo manum aut percutiendo pectus, aut manus, vel oculos in cælum eleuando, aut aliud simile signum exhibendo per ordinem ad confessionem.* Idem docent Megala, Ioan. Franciscus Suarez, & Thomas à Iesu, quos affert Diana *2. tom. dicto tract. de absolutione moribundi, resol. 2.*

Hæc sententia meo iudicio, vel nihil dicit speciale in ordine ad praxim, vel laqueos, & trinitas iniicit Confessario, qui dum examinat, an signa doloris, & penitentia fuerint in ordine ad clauas, infirmus sine absolutione moritur, omnes ergo fateamur debere illa signa doloris esse in ordine ad clauas, hoc est, manifestatiua desiderij, quo penitens desiderat providere animæ suæ de remedio spectante ad veniam peccatorum obtinendam, atque aded per absolutionem sacramentalem. Difficultas solum est in ordine ad praxim; an Sacerdos, qui videt infirmum pectus percutere, vel aliud simile penitentia signum edere, possit præsumere illa signa esse in ordine ad clauas, & ad manifestandum desiderium absolutionis, atque ita possit de facto absolutionem impendere; licet explicite non petierit confessionem, aut absolutionem Sacerdotis.

Et quidem, quando signa ipsi Confessario exhibentur, non videtur dubium, vt diximus, quia iam continent confessionem, & manifestationem peccati Sacerdoti, cui signum exhibetur. Idem ferè est, quando signa coram Sacerdote exhibentur, quem infirmus adesse scit, quia etiam tunc præsumitur Sacerdoti manifestare suum desiderium confitendi. Denique quando fiunt coram Sacerdote, quem infirmus nescit adesse (& idem dicemus *sect. 4.* quando fiunt absente Sacerdote) adhuc dicendum videtur posse semper præsumi, quod fiant in ordine ad clauas, atque ideo posse sub conditione absolutionem impendi.

Hanc conclusionem sub eisdem terminis docuisse videtur Layman *dicto lib. 5. tract. 6. capite 8. n. 4.* qui rationem optimam addit: quia signa penitentia, quæ præsentem mortis periculo ab infirmis eduntur, censei debent ad sacramentalem absolutionem directa, cum in tali statu optimum suæ animæ remedium desiderare soleant. Quapropter, licet infirmus in phrenesim lapsus absolui non possit, etiam si cum sanus esset, & nihil de mortis periculo cogitaret, pectus secundum morem pulsaret, aut sublati oculis in cælum dixerit: *Miserere mei Deus*: tamen si talia signa edidit morti vicinus, cum plura verba proferre non possit, præsumptio plerumque fieri potest, quod sacramentalem absolutionem à Sacerdote petierit. Hæc Layman, cui additur Zambranus *de casibus tempore mortis, c. 4. dub. 2. sect. 4.* Pharaonius *de sacramento Penitentia, tract. 1. sect. 16. casu 15.* quos affert, & sequitur Diana *vbi supra resol. 2.* vbi etiam affert Ioannem Chapeauillam *tract. de sacramentis ministrandi tempore pestis, capite 3. quest. 11.* qui affirmatiuè etiam responderet, & reddit rationem, quia in casu extremae necessitatis, in quo versamur, non requiritur expressa, sed sufficit tacita petitio confessionis, & probat deinde ex Augustino *serm. 44.* dicente eum

qui cunctis pectus, id facere, ut arguatur, quod latet in pectore, & ut evidenti palli oculum castigetur peccatum. Tunc ergo pectoris ex Augustino est aliqua peccati manifestatio: ergo aliqua confessio: hæc autem in illo periculo fieri solent ad querendum remedium, & medicinam pœnitentiæ, quam petit, & cuius desiderium ostendit eo modo, quo potest. Denique hoc modo videntur loqui Doctores antiqui, qui solum exigunt signa pœnitentiæ absque alia expressione in ordine ad claves. Vnde in Romano Rituali Pauli V. vniuersaliter dicitur esse absolvens, si prius confitendi desiderium ostendit. Potest autem hoc desiderio magis, vel minus explicitè ostendi, ut constat. Cum ergo qui in eo periculo signa contritionis ostendit iam eo ipso videatur ostendere desiderium remedij per absolutionem sacramentalem, non est, cur non absoluitur, cum de ipso in rigore verificetur, quod Pontifex exigit, scilicet, quod desiderium confitendi ostenderit.

31. Vnde iterum arguere possumus ad idem comprobandum, quia quoties de illis signis dubium est num oriantur ex pœnitentia, & dolore de peccatis, an potius ex angustia, & morore ipsius morbi, & mortis, potest adhuc in illo dubio absolutio sub conditione impendi, ut notat Layman loco supra citato, & Ioannes Sancius in *selectis*, disp. 44. num. 45. in fine, quem affert, & sequitur Diana *tractatu* illo de *absolutione moribundi*, resol. 3. ergo à fortiori, quoties dubium solum est, an signa illa exhibeantur, vel non exhibeantur in ordine ad claves, poterit absolutio sub conditione impendi. Patet consequentia, quia quando dubium est, an sint signa pœnitentiæ, an potius doloris, & contritionis ex morbo, à fortiori dubitatur, an sint in ordine ad claves Ecclesiæ. Si ergo non obstante dubio, potest dari absolutio, poterit à fortiori, quando constat esse signa pœnitentiæ, & solum dubitatur, an sint in ordine ad claves. Ratio autem est, quia in illo periculo Sacramentum sub conditione conferri potest quocumque dubio existente circa sufficientiam materiæ, & capacitatem subditi: sicut in simili necessitate baptizaretur Puer, quocumque dubio existente circa valorem Baptismi præteriti, aut circa sufficientiam huius aquæ, quæ sola nunc haberi potest: nec fit contra reuerentiam Sacramentis debitam, si sub conditione conferantur in iis casibus, cum sint omnino instituta ad bonum, & salutem animarum.

32. Ideo supra dixi sententiam contrariam nihil fortasse addere in ordine ad praxim: quia quoties infirmus in eo periculo positus talia pœnitentiæ signa exhibet: ad minus poterit esse dubium, an fiant in ordine ad claves, hoc est, an velit significare desiderium confessionis, seu remedij ab Ecclesia obinendi, quod habet; præsertim cum homines in illo periculo soleant statim confessionis meminisse, & eam desiderare, ac petere. Si ergo sufficit eiusmodi dubium ad dandam absolutionem, consequens est, ut semper, aut ferè semper dari possit, si autem potest, debet ex obligatione charitatis, ut succurramus proximo periclitanti eo modo, quo possumus, ut diximus *scilicet*, præcedenti.

SECTIO III.

Virum, qui confessionem non petit, nec dedit signum pœnitentiæ, possit aliquando sacramentaliter absolui.

33. **A**deo sunt hominum iudicia diuersa, ut quibusdam absolutionem negantibus moribun-

do, qui peccatum solum in genere confiteri potuit, alij absolvens putent eum etiam, qui nec confessus est, nec confessionem petit, nec signa pœnitentiæ in periculo dedit, dummodò prius Christiano modo viveret, Sacramenta frequentare soleret, fidelis, ac probus æstimaretur, ita sentiunt Molfesius in *summ. tom. 1. tract. 7. c. 5. n. 48.* & 49. Homobonus in *exam. Eccl. part. 1. tract. 7. cap. 58. g. 84.* Antonius de Litteratis in *summ. part. 1. cap. 35. n. 7.* Alexander Ludouisus Archiepiscopus Bononiensis postea Summus Pontifex Gregorius XV. in *memoriali Confessariorum* edito Bononiæ, c. 1. de forma Sacramenti Pœnitentiæ, num. 16. vbi præcepit id ita in praxi observari; & audio in Belgio à multis Confessariis in bello ita fieri, qui milites moribundos, etiam si nulla signa dare possint, absolunt.

Afferunt pro hac sententia auctoritatem Clementis Papæ VII. qui dicitur aliquando tunc quendam præcipitem ex Sancti Petri fabrica, absoluisse, cum Pontifex adesset dicendo, si es capax, absolue te à peccatis tuis. Hæc tamen narratio nullum habet fundamentum: diligenter enim petij à multis doctis, & prudentibus viris, quoniam à multis annis in hac Romæ Vibe commorantur, & ipsius Clementis tempore aderant, qui rem omnino fabulosam putant. Fundamentum fortasse erandi esse potuit, si verum est, quod circumfertur, quod idem Clemens interrogatus aliquando, quid in casu parum dissimili faciendum esset, quando absente Confessario signa doloris exhibuisset, dixit absolvens utriusque, seque eum absoluturum, si adesset.

Illud etiam quod ex *memoriali Boniensis* assertur, non conuincit, quia in eiusmodi instructionibus, quæ in priuato aliquo Episcopatu eduntur pro Confessariis, proponi solet resolutio iuxta opinionem illorum Theologorum, quibus cura demandata est. Vnde in constitutione Compottellana ita in contrariam partem inclinatum fuit, ut præceperetur, pena etiam statuta, nec vilis aboleretur eum, qui aliquod peccatum in particulari non fuisset confessus, quia absolutio defectu materiæ valida non esset, sed facilliga.

Afferunt etiam pro illa sententia Sacerdotale Romanum antiquum in *tract. de Sacramento Pœnitentiæ*, cap. 26. vbi ex S. Antonino assertur, quod in eo casu possit pœnitens absolui. Sed in primis de auctoritate illius libri dixi *disp. 20. de Eucharistia, scilicet*, 3. vbi notavi aliquos errores, qui in aliis editionibus illius libri sunt correcti: Deinde adducto, ibi solum asserti verba Antonini, quæ non continent clarè illum casum: non loquitur enim clarè de absolutione Sacramentali, sed videtur potius loqui de absolutione illa generali, quæ extra Sacramentum dari possit. Verba Antonini ibi relata hæc sunt: *Talis infirmus, qui amisit loquelam, vel usum rationis, si bene vivebat, ut bonus, fidelis, & frequentabat confessionem, & communionem, quamvis non petierit Sacramenta, quia ex insperato talia acciderunt: vel etiam si malus, & obstinatus diu perseverans in peccatis est, & diu non confessus, si petit Sacerdotem, ut confiteretur, ostendit, se velle facere omnia, quæ debet, & interea factus est mutus, vel phreneticus, & periculum est in mora, debet præsupponi contritus, & faciente aliquo confessionem generalem pro eo fieri in populo. Sacerdos faciat absolutionem ab omni sententia, & peccato. Deinde debet dari ei Eucharistia à proprio Sacerdote seculari, quamvis non sit confessus, quia non potuit. Hæc ibi: in quibus non satis constat, an sermo sit de absolutione Sacramentali, cum dicat, præmittendam esse confessionem generalem ab alio, & postea subiungit esse communem*

communicandum, quamuis non sit confessus. Denique ibi etiam dicitur in periculo, quando non est Sacerdos, bonum esse confiteri Laico, licet non sit necessarium; quod iam communiter non consuevit.

Probat etiam hanc sententiam, ratione, quia Christianus homo in simili periculo constitutus aliquando memor salutis aeternae poterit interius habere aliquem actum attritionis, quo disponatur ad effectum Sacramenti si absoluitur: poterit ergo absolui saltem sub conditione. Sed hoc argumentum si aliquid probat, probaret esse absolendum, etiam si prius sceleratus esset, & notorius usurarius, vel concubinaris, quod tamen S. Antoninus ibidem, & alij omnes negant: Probatur sequela, quia ille etiam, cum Christianus sit, poterit in illo periculo constitutus memor salutis aeternae concipere interius actum attritionis, quo disponatur ad effectum sacramenti recipiendum, si absoluitur: cur ergo non poterit sub conditione absolui.

Dices in peccatore illo deesse voluntatem manifestam recipiendi hoc Sacramentum, in homine autem probae vitae, qui Sacramenta frequentare solebat haberi hanc voluntatem satis declaratam per illam bonam vitam. Vnde argui posset vltimò pro illa sententia, & hoc potest esse praecipuum illius fundamentum: quia ad recipiendam tunc Sacramenta Eucharistiae, & Vnctionis, sufficit, quod per Christianam vitam, quam habebat, ostenderit implicitè voluntatem accipiendi ea sacramenta in illo articulo: sed per similem vitam non minùs ostendebat voluntatem recipiendi absolutionem sacramentalem in illo articulo; ergo illa voluntas sufficit ad dandam illi absolutionem, cum possit hæc dari, ei, de quo constat voluisse confiteri, ut dicitur in Rituali Romano Pauli V.

Ad hoc tamen argumentum respondi disputat. 9. de Sacramentis in genere, sect. 7. ubi ostendi, diuerso modo requiri voluntatem ad recipienda sacramenta Eucharistiae, & extremae Vnctionis, quam ad sacramentum Pœnitentiae, quia in illis sufficit voluntas generalis, quam quilibet Christianus habet, dum proficitur religionem Christianam, suscipiendi remedia, quae sunt instituta pro omnibus Christianis in illo articulo necessitatis. At verò sacramentum Pœnitentiae ex sua institutione est iudicium, atque idè Minister non potest illud conferre, nisi ut iudex. Iudex autem non potest procedere, nisi accusator præcedat, qui vel in specie accuset de delicto in particulari, vel certè imploret eius officium. Debet ergo ex parte pœnitentis post peccatum commissum dari aliqua voluntas sensibiliter manifestata, qua accuset, vel certè imploret officium iudicis; alioquin proferretur sententia sine vllò processu; debet autem illa imploratio esse post commissum peccatum: ridiculum enim esset, quod hodie vellet se aliquis accusare de peccato cras committendo, ut cras ab eo absoluitur in virtute huius accusationis. Cum ergo hoc sacramentum sit iudicium externum, seu sensibile, debet includere sententiam sensibilem, & accusationem, seu implorationem officij iudicis externam, sensibilem, & quæ reddat sensibilem dolorem internum de peccatis; quare debet esse accusatio sensibilis post commissum peccatum.

Merito ergo alij omnes pro certo supponunt, non posse conferri absolutionem sacramentalem, nisi ex parte pœnitentis præcedat saltem petitio, seu desiderium confitendi, cum qua limitatione dicitur in Rituali Romano Pauli V. dandam esse absolutionem, & ita docent Sua-

P. Iouan. de Lugo de Pœnitentia.

rez dicta disputat. 2. 3. sect. 1. num. 13. Valquez quest. 91. art. 2. dub. 1. num. 1. dicens nullum esse; qui contrarium dicat: Coninch. disputat. 5. num. 28. & disp. 7. dub. 10. num. 96. dicens contrarium non esse probabilem: Layman lib. 5. tract. 6. cap. 22. num. 4. Reginaldus tom. 1. lib. 8. cap. 3. num. 25. Terrianus de Pœnitentia, quest. 9. art. 2. disp. 30. dub. 1. ad 3. Hentiquez lib. 6. capite 10. numero 9. & alij multi, quos affert, & sequitur Diana dicto tractatu de absolutione moribundi, resoluit. 8. & 3. tom. tractat. 4. Miscell. resolut. 92. qui dum dixit aliquos ex nostra Societate contrarium tenere, intelligi debet de aliquo priuato, quem ipse fortasse alloquutus est: nam ex auctoritatibus nostrae Societatis nemo est, qui eam docuerit.

Et vltra fundamenta supra adducta colligi potest ex perpetuo vsu Ecclesiae, quem decreta Pontificum, & Conciliorum clare ostendunt, dum semper addiderunt, absolendum quidem esse infirmum, qui loqui non potest, si tamen voluntatis praeteritæ testimonium aliorum verbis habeat; quam conditionem in nullius Concilij, aut Pontificis decreto praemissam videmus, ut constabit ex eorum verbis, quae referemus Sectione sequenti. Non ergo expedit in re tanti momenti sub pietatis specie sapere plusquam omnes nostri SS. Patres sapuerunt, sed obseruare terminos, quos apposuerunt nobis. Hoc vnum ego in praxi concederem, si repentina hostium aggressionem Milites spatium confitendi non habent, & dicant ex corde, se desiderare confessionem, & ex tunc absolutionem petere sacramentalem, si in mortis articulo sint, posse virtute illius voluntatis iam manifestatae Confessarium absolueret Milites, quos sine sensu morientes inuenit, quia iam pro temporis angustia petierunt confessionem, & ostenderunt desiderium confitendi meliori modo, quo poterant. Deberent tamen moneri omnes ante praelij initium, ad habendum dolorem de peccatis, quo se ad effectum absolutionis disponerent.

Arguit nonnullè contra hanc communem doctrinam Bartholomaeus à S. Fausto tom. 1. Theolog. quest. 204. quia si potest (inquit) dari absolutio sub conditione, quando dubitatur, an pœnitens habeat vltim rationis, vel an sint peccata; nulla est ratio, cur id fieri non possit similiter sub conditione, quando talis nullum signum dedit contritionis, & aliàs deuotus erat, & frequentabat confessionem, & communionem: potest enim esse: propterea in dubijs praesumitur, quod memor sit salutis aeternae, & interius habeat attritionem. Hoc tamen argumentum, ut dixi, probaret dandam esse absolutionem sub conditione, etiam si non fuisset probae vitae; quia potest fieri, quod tunc memor salutis habeat interius attritionem. Respondetur ergo ex dictis non posse dari etiam sub conditione, quia siue habeat attritionem, siue non habeat, deest id, quod requiritur ad constituendum hoc sacramentum in ratione iudicij sensibilis, scilicet accusatio, imploratio officij, qui non potest ex se ipso inchoare hoc iudicium, sed ad instantiam partis, ut dictum est.

Infero obiter minùs admitti posse solutionem Iacobi Baij Louaniensis, qui instit. Relig. Christianae lib. 2. cap. 91. ut illam sententiam defenderet, responderet, licet hoc sacramentum sit iudicium, in illo tamen casu absolutionem posse impendi per modum suffragij. Hæc tamen responsio destruit se ipsam: quia si datur absolutio sacramentalis, & non solum deprecatoria, qualis datur post confessionem generalem iis, qui volunt

Ll 2 committ

Trident.

communicare, debet sequi naturam sacramenti, atque idem debet omnino esse sententia iudicis, & absolutio iudicialis: nam si dari posset solum per modum suffragij, posset etiam dari mortuo, sicut datur illi indulgentia per modum suffragij: posset etiam dari non subito, nec requireretur in Ministro iurisdicção, & superioritas in pœnitentem: sicut ergo possum per modum suffragij communicare meum ieiunium, aut sacrificium illi, qui nullo modo est meus subditus; quæ omnia sunt manifestè contra essentiam huius Sacramenti, quod nunquam potest conferri, nisi à legitimo superiore, & iudice per sententiam iudicalem. Quod certè nescio, quomodo, salva fide, negari possit, cum videatur aperte definitum in Trident. sess. 14. capite 2. his verbis, quibus differentiam essentialem Baptismi, & sacramenti Pœnitentiæ assignat: *Constat, inquit, Baptismi instrumentum iudicem esse non oportere, cum Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi ianuam fuerit ingressus. Quid enim mihi (inquit Apostolus) de iis, qui foris sunt iudicare? Secus est de domesticis fidei, quos Christus Dominus lauacro Baptismi sui corporis membra semel effecit: nam hos, si postea crimine aliquo se contaminauerint, non iam repetito Baptismo ablui, (cum id, in Ecclesia Catholica nulla ratione liceat) sed ante hoc tribunal tanquam reos sisti voluit, ut per Sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari. Vnde cap. 6. & can. 9. & definit absolutionem sacramentalem debere esse actum iudicalem. Si quis (inquit) dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicalem, anathema sit. Ex quibus verbis aperte constat in nullo casu posse impendi absolutionem sacramentalem solum per modum suffragij, sed ut sententiam iudicalem prolatam à Ministro, ut à vero iudice; constat etiam ex iisdem verbis id, quod sæpè diximus, requiri ad hoc sacramentum, quod pœnitens saltem imploret officium iudicis, petendo absolutionem, quod significavit Concilium illis verbis, *ante hoc tribunal sisti; & illis, ad ipsum pœnitentes confugerint.* Quod cum per signa doloris faciunt, absolui possunt, cum nullo modo faciunt, absolui non possunt.*

SECTIO IV.

Virum, qui absente Confessario, petiit confessionem, & ostendit pœnitentiæ signa, possit ab illo postea superueniente absolui, quando iam est sensibus destitutus.

43.

Diximus contra illos recentiores, non debere, nec posse sacramentaliter absolui, qui nullo modo confessionis desiderium ostendit, quantumvis bonæ vitæ fuisset, & sacramenta frequentasset. Nunc restat punctus præcipuè controuersie. An quando eiusmodi desiderium ostendit, vel Confessarium vocando, vel petendo confessionem, vel signa contritionis exhibendo, quæ illud desiderium significarent, possit à superueniente Confessario sacramentaliter absolui. Prima sententia negat, quæ tenent ij omnes, quos *Seltiore prima* retulimus, dicentes non sufficere confessionem vnius peccati in genere ad absoluendum moribundum: eandem tenent alij Recentiores, quos affert Diana *secundo tomo, tractat. de absolutione moribundi, resol. 4.* & latè eam probat Didacus Alvarez in 1. 2. disp. 80. per totam: cuius potissimum fundamentum desumitur ex decreto Clementis VII. edito 20. Iunii, anno

1602. quo prohibuit omnino illam propositionem, *licere per litteras, vel interuincij Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere.* Nam in casu præsentis licet absolutio conferatur in præsentia, confessio tamen illa generalis, & rudis, quæ se peccatorem confessus petit confessionem, & absolutionem fit in absentia sacerdotis: cum ergo confessio nulla: & in nullo casu fieri possit in absentia, consequens est, ut illa non potuerit esse sacramentalis, atque idè ex illa confessione, & absolutione sequenti non potuit confici verum sacramentum Pœnitentiæ.

Contraria tamen sententia, quæ docet, posse conferri absolutionem moribundo in illo casu, communis fuit, & est non solum antea, sed etiam post decretum illud Clementis VII. quem prius tenuerunt Sanctus Thomas *Opusculo 65. S. de extrema vñlione in fine*, Sanctus Antoninus *3. part. tit. 10. cap. 2. circa medium*, Syluester verbo *confessor. 3. n. 16.* Paludanus *diffinit. 2. 1. g. 2. art. 2. concl. 2.* Medina de pœnitentiâ *tract. 2. q. 39.* Angelus verbo *profectio 4. num. 8.* Toletus in *Summa, lib. 3. cap. 8. n. 2.* Henriquez *lib. 5. cap. 2. num. 7.* & *lib. 6. cap. 10. n. 7.* Ioann. de la Cruz Dominicanus in *dir. conscientiæ, part. 2. de sacram. Pœnitentiæ, q. 3. dub. 8. concl. 2.* Suarez in *præsentis disputat. 23. sess. 1. Valentia disput. 1. quæst. 11. punct. 1.* Valquez *q. 91. art. 2. dub. 2. & in 1. 2. disp. 82. cap. 7. num. 40.* Reginaldus in *praxi, tom. 1. lib. 8. part. 3. num. 28.* Emanuel Sa verbo *absolutio num. 10.* Layman, *lib. 5. tract. 6. cap. 8. num. 4.* Basilii Pontius de *matrimon. lib. 4. cap. 15. num. 8.* Corduba in *Quæstionario, lib. 3. q. 49.* Naldus, Megala, Molfesius, Thomas à Iesu, Chapeauilla, Zambranus, Pharonius Pitigianus, Syluius, Montefinus, Ludouicus de sancto Ioanne, Coriolanus, Bellocchius, Antonius de Litteratis, & alij, quos refert, & sequitur Diana *loco citato*, & Iacobi P. Coninch. eandem sententiam, quam prius docuerat in *præsentis disp. 7. dub. 10.* postea in eum libello speciali propugnauit, & exornauit adèò, ut pauca addenda superflua sint.

Hanc itaque sententiam ego etiam amplector, & certè non video, quomodo iam reprobari possit, postquam à Paulo V. in suo Rituali Romano approbata, & toti Ecclesiæ ad præxim pontificia auctoritate proposita est in ritibus de Sacramento Pœnitentiæ his verbis: *Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox, & loquela agrum deficiat, muribus, & signis conetur Sacerdos, quoad eius fieri poterit, peccata Pœnitentis cognoscere; quibus circumque, vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium sine per se, sine per alios ostenderit, absoluendus est.* Vbi expressè Summus Pontifex non solum permittit, sed præcipit omnibus Parochis absolutionem in casu proposito impendere.

Respondetur primò, Ritale illud non habere auctoritatem, sed approbationem pontificiam; sicut per auctoritatem alios libros, qui de Pontificis licentia imprimuntur, ut Ritale Romanum. quare nò excedit auctoritatem Doctoris privati qui illos ritus, & regulas hinc inde collegit. Deceptus itaque est collector illius Ritualis immemor decreti Clementis VIII. ut propter aliquorum Doctorum auctoritatem iterum in Rituali poneret sententià ab Ecclesiâ nuper prohibitam. Quod idè factum dicunt, quia non præcessit sermō ac sufficiens Theologorū examē. Hæc responsio dum Ecclesiæ decreta, & Clementis prohibitionem venerari videtur, eiusdem Ecclesiæ, & Pauli V. auctoritati plus nimio derogat. Prius Paul. V. quia idem Paulus in Bulla Rituali illi præmissa protestatur se id facere pro sui officij debito, quo tenetur curare, ut in sacramentorum administratione religio

religiosè obseruentur Apostolica traditiones, & Sanctorum Patrum decretis cõstituti ritus, ac ceremoniae: idè postquam Pius V. Breuiarium, & Missale pa-
 44. *Quam VIII.* storali prouidentia, edenda censuit, & Clemens VIII. Pij vestigia sequutus Pontificale restitutum dedit: restabat, inquit, ut sacri, & sinceri Ecclesie Catholica ritus, qui in Sacramentorum administratione, aliisque Ecclesiasticis functionibus seruari debent ab iis, qui curam animarum gerunt, Apostolica Sedis auctoritate prodirent, ad cuius voluminis præscriptum, in tanta Ritualium multitudine sua illi ministeria tanquam ad publicam, & obsequatam formam perageret, vnoque ac fidei ductu inoffenso pede ambularent, & postea subdit. Ut autem rectè, & ordine, ut par erat, res ageretur, nonnullis, & venerabilibus fratribus nostris sacre Romanae Ecclesie Cardinalibus, pietate, doctrina, & prudentia præstantibus, eam demadanimus, qui cum consilio eruditiorum virorum, &c. rebusque omnibus maturè consideratis, Rituale consecrunt, in quo cum receptos, & approbatos Catholicæ Ecclesie ritus suo ordine digestos conspexerimus; illud sub nomine Ritualis Romani merito edendū publico Ecclesie Dei bono indicauimus. Quapropter hortamur in Domino Venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & dilectos filios eorum Vicarios, necnon Abbates, Parochos, vniuersos & alios, ad quos spectat, ut in posterum tanquā Ecclesie Romanae filij, eiusdē Ecclesie omnium Matris, & Magistræ auctoritate constituto Rituali in sacris functionibus utantur, & in re tanti momenti, qua Catholica Ecclesie, & ab ea probatus vsus antiquitatis statuit, inuiolatè obseruet.

Hæc sunt verba Pontificis in Bulla illa, quæ refertur volui, ut constet, non approbationem solam, sed auctoritatem Pontificis ab ipso fuisse Rituali interpositam. Dicit enim primò, se illos ritus Ecclesie proponere pro sui officij debito, ut obseruentur Apostolicæ, & Ecclesiasticæ traditiones, dicit secundo se Rituale proponere, sicut Pius V. & Clemens VIII. Breuiarium, Missale, & Pontificale ediderant, ac proposuerant: certum autem est, in illis non solum licentiam, sed auctoritatem Pontificiam interuenisse. Dicit tertio debuissē sacros Ecclesie ritus seruari debitos à Parochis, Apostolica Sedis auctoritate prodire. Dicit quartò, hanc esse publicam, & obsequatam formam, ut fideles inoffenso pede ambulent in Sacramentorum vsu. Dicit quinto rem hanc proprio, & maturo consilio; ac studio præstantissimorum Cardinalium, & aliorum Doctorum factam fuisse. Dicit sexto se in hoc Rituali conspexisse receptos, & approbatos Ecclesiasticos, suo ordine digestos. Hortatur denique omnes, ut tanquā Ecclesie filij hoc Rituale obseruent Romana Ecclesie omnium Matris, & Magistræ auctoritate constitutum. Quæ omnia clarè significant, auctoritatem Pontificiam, qua supremus Pastor Christi omnibus proponit ritus sanctos, & securos in Sacramentorum vsu obseruandos: idque non cæco modo, sed præuio magnorum virorum examine, ac diligenti consideratione, ac studio. Quomodo ergo salua Sedis Apostolicæ auctoritate dici potest, propositum ibi fuisse in pœnitentiæ Sacramenti administratione omnibus fidelibus ritum quendam inutilem, sacrilegum, damnatum, ad illumque inuiolatè obseruandum Summum Pastorem hortari omnes Ecclesie filios, protestatione facta, quod hi sunt Ecclesiastici ritus, per quos inoffenso pede ambulare possimus.

Confirmatur primò; & explicatur exemplo facili quod ab Auctoribus contrariæ sententiæ negari non potest. Habemus enim in Ponticali Romano à Clemente VIII. edito, ritum illum inter alios, quo Presbyteri, quando ordinantur, consecrant

P. Ioann. de Lugo de Pœnitentia.

Eucharistiam simul cum Episcopo: de quo ritu dubitarunt sæpè Theologi, & Durandus non sine difficillimis argumentis, ausus est dicere, esse illicitum, & sacrilegum: hanc tamen Durandi sententiā Theologi communiter dicunt esse temerariam, & Magister Nunnus Dominicanus tom. 2. in 3. p. 9. 82. art. 2. dixit, non posse licitè de illo ritu dubitari. Et meritò, quia ritus ille in Ponticali Romano approbatus, & præscriptus est pro tota Ecclesia. Similiter ergo censendum est de eo qui diceret, ritum præscriptum, & approbatum in Rituali Romano à Summo Pontifice pro tota Ecclesia, & ad cuius vsum Summus Pontifex hortatur omnes Parochos, esse ritum sacrilegum, & damnatum: Cum Paulus V. profiteatur in dicta Bulla, se eodem modo auctorem esse illius Ritualis, sicut Clemens VIII. auctor fuerat Pontificalis, quare eadem veneratione suscipiendus est ritus in Rituali, ac in Ponticali propositus.

Confirmatur secundo, quia dum Pontifex dicit, se proponere illos tanquam receptos & approbatos Catholicæ Ecclesie ritus, alludere videtur ad similia verba, quæ habentur in formula professionis fidei à Pio IV. edita, in qua dicitur, receptos & approbatos Ecclesie Catholicae ritus in supradictorum Sacramentorum solemnibus administrationibus recipio, & admitto. Si ergo Pontifex testatur hos esse Catholicæ Ecclesie receptos, & approbatos ritus, testatur simul hos esse illos ritus, ad quos non testificandos, sed recipiendos sese iuramento obstrinxerunt quotquot solemnem fidei professionem emittunt.

Propter hæc alij secundo dixerunt in Rituali non esse sermonem de casu nostro, sed de alio; quando scilicet agrotus desiderium confitendi per se, vel per alios ostendit præsentem tamen iam Confessario: ibi enim non dicitur posse absolui, etiam si absente Confessario illud desiderium ostenderit.

Hæc tamen responsio credibilis non videtur, Primò, quia ritualia antiqua Romana, ex quibus regula ipsa desumpta fuit, clarè, & pluribus verbis eundem casum explicabant, supponendo, ægrum manifestasse confitendi desiderium, antequam Confessarius adesset, qui postea ex aliis id cognoscebat. Sic enim dicitur: *adstantibus autem infirmo debet credi, si perhibent testimonium, quod petierit confessionem, & ostenderit signa contritionis.*

Secundo, quia vix concipi potest, quod aliquando occurreret talis casus, quo ægrotus Confessario præsentem per alios desiderium confitendi ostendat: quorum enim si uterque adest, manifestabit alteri potius, quàm Confessario suum desiderium confitendi? Undè omnes tam Prælati, quàm inferiores Sacerdotes verba Ritualis intellexerunt absque vlla dubitatione de casu nostro, & eiusdem Ritualis auctoritate, & præcepto Pontificio permoti, id in praxi obseruauerunt, ac obseruari fecerunt iudicantes, ea verba non posse aliter intelligi, moraliter loquendo.

Tertio denique constat, sensu Ritualis illum fuisse quem omnes intellexerunt: quia cum eam ob causam aliqui apud Congregationē Eminentissimorum Cardinalium S. Inquisitionis Generalis dixissent, Rituale debere corrigi, eo quod aduersaretur decreto Clementis VIII. & die 2. Decemb. 1621. coram Pontifice decretum fuit obseruari Rituale, & nihil illud aduersari decretis Clementis propter aliam, & aliam rationem. Et cum paulò post in eadem Congregatione interrogatum esset, quid in illo casu esset agendum: respondit ore tenus, seruandum esse Rituale. Itaque nemo vnquam dubitauit, verbis Ritualis significandum fuisse casum nostrum, & idè propter eiusdem Ritualis auctoritatem dixerunt in eo casu absolucendum infirmum.

53. Fuit autem non temere, aut leuiter, sed cum examine, & studio, ac grauissimis fundamentis ritus ille in nouo Rituali à Pontifice retentus, qui obseruatus reperitur in Ecclesia à tempore antiquissimo. Sic enim colligitur ex Concilio Arausico. l. cap. 11. vbi dicitur: *Subito obmutescens (propt statum est) baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis prætèrita testimonium aliorum verbis habeat, aut præsens in suo nutu: & ex Concilio Carthag. l. V. cap. 63. vbi dicitur, Is, qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum Sacerdos inuitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium, qui cum audierunt, & accipiat pœnitentiam, & si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia. In eodem sensu loquitur Eusebius Papa, cuius decretum referunt Yuo in suo Decreto part. 15. c. 35. & Buread. lib. 8. cap. 11. his verbis: Si quis pœnitentiam petens, dum Sacerdos venerit, fuerit officio lingua priuatus, constitutum est, ut si idonea testimonia habuerit, quod ipse pœnitentiam petiisset, & ipse per motum suæ voluntatis, aliquod signum facere potest, Sacerdos impleat omnia, sicut supra circa agrotantem pœnitentem scriptum est. Id est orationem dicat, & ungat eum oleo sancto, & Eucharistiam ei donet. vbi nomine orationum intelligi absolutionem Sacramentalem, quæ apud Patres preces & oratio sæpè appellatur, ut obseruauit Vasquez dicto. dub. 4. num. 25 & constat ex contextu; quia dicit obseruanda ea omnia, quæ cum aliis agrotis pœnitentibus sunt, quibus certum est, quod dabatur absolutio Sacramentalis. Hoc tamen testimonio (ut verum fatear) non multum vrgere possumus, cum casus Eusebij sit, quando infirmus per motus potest adhuc suæ voluntatis aliquod signum dare, qui esset diuersus casus à nostro. Denique S. Leo Magnus epist. 91. ad Theodorum, vbi de confessione lapsi post Baptismum ad gratiam recuperandam necessaria loquens, dicit, periculosum quidem esse eam confessionem in vltimum tempus differre, non tamen negandum esse eo tempore remedium necessarium; his verbis. *Vtrum, ut dixi, etiam talium necessitati ita auxiliandum est, ut nec actio illius pœnitentie nec communionis gratia denegetur, si ea etiam amisso eius vocis officio per indicium integri sensus querere comprobentur. Quod si aliqua ægritudine ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante poscebant sub præsenti Sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debeant, ut simul & pœnitentia, & reconciliationis beneficium consequantur.* In quibus verbis clarissime contineri videtur casus nostræ controversiæ.*
54. Ad hæc tamen testimonia auctores contrariæ sententiæ respondere conantur. Primò dicunt, in iis non esse sermonem de absolutione Sacramentali, sed de reconciliatione ceremoniali cum Ecclesia, quæ publicis pœnitentibus, & peccatoribus dari solebat, antequam ad Sacramentorum participationem admitterentur.
55. Hæc responsio multipliciter impugnata est ab Auctoribus nostræ sententiæ: quia in illis decretis duo diuersa distinguuntur, quæ agrotis adhibenda sunt; nempe & dare illi pœnitentiam, & reconciliationis etiam beneficium; quæ duo frequenter condistinguuntur in vetustis conciliis, ut constat ex Arausico l. can. 3. vbi dicitur: *Qui recedunt de corpore pœnitentie accepta placuit sine reconciliatoria manus impositione eis communicare:* item in Concilio Carthag. l. V. supra allegato dicitur. *Accipiat pœnitentiam, & si continuò creditur moriturus, reconcili-*

etur per manus impositionem. Et idem constat ex verbis eiusdem Leonis in citata Epistola, vbi dicit: *Hic autem qui in tempore necessitatis, & in periculi urgentis instantia præsidiū pœnitentie, & max reconciliationis implorant, &c.* Vnde Gratianus in cap. Agnouimus 26. quæst. 6. notauit in fine capituli, ei, cui pœnitentia non negatur, nec reconciliationem negandam esse. Ex quibus constat, in prædictis decretis non vnicam actionem reconciliationis ceremonialis, sed duas poni cum infirmo exequendas in casu nostræ quæstionis, scilicet actionem pœnitentiæ, & reconciliationis; Quæ duo Vasquez dicto dub. 4. ita condistinguit, ut acceptio pœnitentiæ significet Sacramentum pœnitentiæ, reconciliatio verò, quæ subsequatur, significet ceremonialem absolutionem non à censura, quæ tangeret animam ipsam; hæc enim absolutio debuisset præcedere absolutionem Sacramentalem; sed absolutionem à censura, & prohibitionem quadam externa, qua prohibebatur ad Sacramenta accedere, donec pœnitentiam publicam expletet. Quod colligit ex citatis decretis; quibus dicitur communicationem dandam accepta pœnitentia etiam sine reconciliatione per manus impositionem. Alij verò dicunt, acceptationem pœnitentiæ solum significare impositionem publicæ pœnitentiæ, quam Sacerdos infirmo taxabat, & quam debebat implere cum posset, postea verò subsequi solitam reconciliationem per manus impositionem.

Cæterum, quidquid sit de hoc, fatendum est, absolutionem Sacramentalem à culpa contentā fuisse in aliqua ex illis actionibus, siue in acceptione pœnitentiæ, siue in reconciliatione. Quod constat ex verbis eorundem decretorum. Primò quia S. Leo in illa Epistola præmittit pro fundamento doctrinæ tradendæ, quod remissio culpæ coram Deo, & recuperatio gratiæ non nisi per absolutionem Sacerdotis possit obtineri: *Multiplex, inquit, misericordia Dei lapsicū subuenit humanū, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentie medicinam, spes vite reparetur æterna, & qui regenerationis donum violasse, proprio se iudicio condemnauerat, ad remissionem criminum peruenirent, sic diuina bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei, nisi supplicationibus Sacerdotum, nequeat obtineri.* Vnde infert, subueniendum esse infirmis, etiam quando solum ex aliorum testimonio constat, ipsos pœnitentiam, & reconciliationem petiisse. Secundo, quia apud Leonem eadem fieri præcipiuntur circa eum, qui prius pœnitentiam petiit, ac circa eum, qui etiā per nutum Sacerdoti præstet id significat: cum ergo huic danda sit absolutio Sacramentalis, idem dicendum est de illo alio. Quod comprobari potest ex verbis Eusebij Papæ supra adductis, vbi dicitur, quod Sacerdos circa illum infirmum propter aliorum testimonia, impleat omnia, quæ circa alios infirmos pœnitentes implenda sunt. Tertiò, quia Iulius Papa in c. si Presbyter, & Celestinus Papa in c. Agnouimus 26. q. 6. dicunt Presbyterum morienti pœnitentiam abnegantem ream esse eius animæ, & horrendam impietatem committere, ac morientis animam sua crudelitate occidere. Quæ omnia clare significant, quod concessio pœnitentiæ petitiæ contineat absolutionem à culpa, & non solum ablationem censuræ. Cum ergo apud Leonem, & alia decreta dicatur agrotis, qui prius etiam petiit, concedendam esse pœnitentiam, sermo est de concessione pœnitentiæ, quæ continet liberationem à culpa, & quæ si negetur, Sacerdos erit causa damnationis æternæ illius moribundi. Denique quia in iis decretis statuitur danda pœnitentia, & reconcilia

reconciliatio, quam ægrotus petit: ipse autem non tam petit liberationem à censura externa, vel interna, quam à peccato, quod solum salutem æternam impedit, quam non impediret quælibet censura. Ergo absolutio potius à peccato præcipitur, quam à censura.

Vnde obiter infero, parum referre, quod aliqui contendunt in illo decreto Leonis solum esse sermonem de publicis poenitentibus; nam quidquid de hoc sit, cuius contrarium tandem fateretur Aluarez dicta disput. 80. num. 42. dicens negari non posse, quod Sanctus Leo occasione accepta ex publicis poenitentibus sermonem extenderit ad omnes alios peccatores differentes poenitentiam usque ad mortem: quidquid inquam, de hoc sit, si publicis peccatoribus, & poenitentibus propter solum aliorum testimonium datur absolutio sacramentalis, de qua ibi sermonem esse ostendimus: idem dicendum erit à fortiori de aliis peccatoribus non ita publicis, cum non sint plura necessaria ad valide absolvendum hos, quam publicos peccatores.

Respondent tamen secundò aliqui esse magnum discrimen: quia publici peccatores, & poenitentes, de quibus est ibi sermo, iam prius confessi fuerant sua peccata & poenitentiam implendam acceperant, in quo statu licet iterum confiteri non possent Sacerdoti præfenti, potuissent tamen valide absolui propter confessionem antea factam. Secus verò in casu nostro, in quo ægrotus non supponitur confessus Sacerdoti præfenti. Ita videtur respondere Canus apud Vasquez ubi supra n. 17. & Sotus apud Alvarez num. 4. quam responsionem laudat, & approbat idem Alvarez.

Sed contra illam est primò, quod in decretis non alligatur potestas, vel debitum reconciliandi moribundum ad illum solum Sacerdotem, cui antea confessus fuisset, sed consuetudo erat, quam agnovit Tridentinum sessione 14. cap. 7. ut quilibet Sacerdos in illo articulo quemlibet posset absolvere, unde teste Eusebio lib. 6. Histor. cap. 34. vel 36. Serapion quidem, qui fidem antea negauerat, & poenitentiam sæpius petierat, petit vocari ad se quemlibet ex Presbyteris, ut dimitti posset.

Secundò impugnatur eadem responsio ex verbis Leonis in dicta Epistola: ibi enim reprehendit eos, qui confessionem differunt usque ad ultimum vitæ de quibus tamen subiungit, quando poenitentiam in mortis articulo petant non esse eis negandam, quando etiam hæc petitio per aliorum solum testimonium constat: non potest ergo illud intelligi de iis solis, qui iam prius peccata confessi fuissent. Hos enim non reprehenderet propter dilatatam confessionem, & poenitentiam petitionem usque ad finem vitæ.

Tertiò impugnatur, quia si iam prius Sacerdoti eidem peccata sua confessus fuisset ægrotus, quorsum desideratur adstantium testimonium de poenitentia petita; constaret enim iam sufficienter de desiderio, & petitione poenitentis per confessionem antea factam. Vnde obiter constat falsum esse id quod aliqui supra dicebant, agi in iis decretis de solis publicis poenitentibus, & non de aliis peccatoribus. Nam quoad publicos poenitentes necessarium etiam non esset adstantium testimonium de poenitentia petita, cum ex eo ipso statu poenitentes manifestè constaret omnibus Presbyteris, quod petissent iam, & accepissent poenitentiam, quam actu implebant. Non est ergo sermo de iis, in casu nostræ quæstionis, quando ad illum respondetur, sed de aliis, qui solum in ægitudine poenitentiam petunt, quam antea non petierant, nec acceperant.

Tertiò principaliter probari potest nostra sententia ex verbis S. Thomæ dicto opusculo 65. §. de Extrema Unctione, in fine, ubi ait: Si autem infirmus qui petit unctionem, amisit notitiam, vel loquelam, antequam Sacerdos veniret ad eum, nihilominus ungetur eum Sacerdos, quia in tali casu debet etiam baptizari, & à peccatis absolui. Nempe quando post petitem similitur Baptismum, vel absolutionem, notitiam, vel sensum amisisset, antequam Sacerdos veniret. Dicere autem, quod Sanctus Thomas ibi non loquitur de absolutione à peccatis sacramentali, sed de precatória, quæ fieret dicendo illam orationem, Misereatur tui omnipotens Deus; propterea dicit Alvarez dicta disput. 80. num. 52. perinde est, ac si diceret me etiam in hac quæstione non agere de absolutione sacramentali, sed de precatória: ego enim clarius non sum loquutus, quam S. Thomas.

Quartò probari potest hoc ipsum ex absurdis, quæ aliqui ex adversariis Auctoribus admittunt ad tuendam contrariam sententiam. Nam idem Alvarez loco citato num. 23. pro fundamento suæ sententiæ statuit nunquam sufficere ad sacramentalem absolutionem, confessionem, qua poenitens confiteretur peccatum aliquod solum in genere generalissimo, etiam si à Sacerdote præfenti petat absolutionem. Contradictorium traditur, ut vidimus à Paulo V. in Rituali Romano. Idem num. 23. admittit in sacramento Matrimonij tunc conferri gratiam sacramentalem, quando Sacerdos profert illa verba; ego vos coniungo; quæ tamen sententia male audit apud Theologos, & graviore censura notari solet: supponunt enim Ministrum conficentem Sacramentum non esse Parochum, sed ipsos contrahentes.

Restat nunc respondere ad argumenta contra nostram sententiam, quæ reducuntur ferè ad unum desumptum ex decreto illo Clementis VIII. in quo prohibetur propositio illa, licere in illo casu confessionem, & absolutionem per literas, vel internuncium. Cum ergo in casu nostro confessio fiat absente Sacerdote, & illi manifestetur per internuncium, videtur opponi decreto Clementis, & veritati, quam etiam ante illud decretum maior, melior Theolorum pars docebat non posse unquam confessionem sacramentalem fieri in absentia Confessarii.

Pro huius difficultatis explicatione in primis aduerto id, quod dixi supra disput. 13. sect. 6. ex vi illius decreti non solum haberi, quod verba sonare videntur, nempe talem confessionem, vel absolutionem esse illicitam, sed etiam esse invalidam, quod aliqui immeritò negare ausi sunt. Alij autem male etiam id probant, ex eo quod post prohibitionem Clementis, qui confiteretur in absentia, operaretur contra obedientiam Pontifici debitam, incurreret excommunicationem, & consequenter non esset capax absolutionis; quod argumentum bene rejicit Coninch. dicto opusculo de absolutione moribundi, num. 28. quia posset contingere, quod aliquis saltem per ignorantiam invincibilem non peccaret contra prohibitionem Pontificis, atque adeo ex hac parte non fieret absolutionis incapax. Ergo non sequitur ex illa prohibitionem, quod in nullo unquam casu sit valida talis confessio, vel absolutio.

Aliter tamen id colligitur ex verbis decreti, quia si in aliquo casu esset valida talis confessio vel absolutio non potuisset prohibitionem Pontificis reddi illicita in univ ersum pro omni casu, nam sicut leges Ecclesiasticæ non obligant cum gravissimo damno temporali, aut periculo vitæ corporis; sic multò minus obligare possent cum gravissimo detrimento spirituali, & periculo damnationis.

nationis æternæ. Vnde si aliquis, tentatis omnibus viis non posset habere Confessarium præsentem, non posset prohiberi, quod ei absenti confiteretur iam iam moriturus, si eiusmodi confessio valida esset. Falsum ergo esset, quod in nullo casu liceret talis confessio vel absolutio: quare ut vera sit Pontificis sententia, fatendum est in nullo prorsus casu validam esse; & ideo in nullo prorsus casu esse licitam, ut Pontifex docet.

65. Hoc ergo supposito, aliqui dixerunt casum nostrum non comprehendi decreto Clementis, quia assertio à Clemente reprobata erat copulativa, nempe licere per literas seu internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere. Qui autem diceret licere solum confiteri absenti, dum non nisi à præsentem absoluitur, non dicit propositionem illam à Clemente prohibitam. Hæc tamen interpretatio reiecta fuit primum ab ipso Clemente, & postea à Paulo V. die 14. Iulij anno 1605, declarante in Congregatione Sancti Officii, prædictam interpretationem non subsistere. Et quidem ex ipsius decreti verbis, & eius intentione apparet, mentem Pontificis non fuisse solum copulativam prohibere, alioquin posset, salvo eodem decreto aliquis adhuc dicere, posset absolutionem absenti conferri, dummodo Confessio in præsentia præcessisset quod tamen nemo concedet, quia Pontifex utrumque abusu voluit de medio tollere, quod facere non poterat, si solum sensum copulativum prohiberet: imò tunc neutrum abusu abstulisset: singula enim seorsim fierent, modo hoc, modo illud.

66. Alij ergo satis communiter respondent, in casu nostræ quæstionis, confessionem non fieri in absentia, quia licet ægrotus in absentia Confessarii petierit confessionem, postea tamen quando hoc ipsum Confessario à circumstantibus manifestatur, iam Confessarius præsens est ægrotis: tunc autem videtur fieri confessio, non per ipsum pœnitentem immediate, sed per adstantes, quasi per interpretem; nam qui per interpretem confitetur Confessario præsentem, verè confitetur: & tunc confitetur, quando Interpretis eius nomine refert peccata Confessario præsentem. Similiter ergo infirmus, qui per circumstantes confitetur Sacerdoti, tunc censetur confiteri, quando circumstantes eius nomine referunt Confessario desiderium pœnitentis. Nec referre videtur, quod iam tunc infirmus non habeat præsentiam moralem, & humanam, eo quod sit sensibus destitutus. Nam in primis decretum Clementis non videtur exigere semper præsentiam moralem, & humanam, quia quando infirmus post confessionem factam sensibus destituitur, & absoluitur, non habet nisi physicam præsentiam, dum absoluitur, & tamen non dicitur absolui in absentia. Deinde quando quis confiteretur per Interpretem in præsentia Confessarii, licet dum loquitur Interpretis, & explicat Confessario, quæ pœnitens dixerat dormitaret, vel dormiret ipse pœnitens, non impediret valorem confessionis. Ergo sufficit præsentia physica pœnitentis, dum confessio fit præsentem Confessario. Hanc responsionem amplecti tandem videtur Vasquez dicto dub. 4. num. 32. & alij plures ex recentioribus, quibus consentit Diana dicto tract. de absolutione Moribundi, resol. 4. & 7.

67. Sed, ut verum fateatur, nunquam mihi adæquatur, satisfecit hæc responsio propter duo. Primum est, quia ex ea sequitur necessarium omnino esse ad valorem absolutionis in casu nostro, quod Confessarius superueniens audiat, & cognoscat desiderium infirmi ab iis, qui adhuc sunt in eiusdem infirmi præsentia, atque ideo si id cognovisset

Confessarius in itinere ab eo, qui ipsum vocavit, & qui cum eo non rediit, non potuisset infirmum absolvi in virtute illius notitiæ, quia eam non acceperat in præsentia illius infirmi. Consequens autem falsum esse & contra mentem Ritualis, & antiquorum decretorum paulò post ostendimus. Sequela autè pater, quia iam tunc confessio fieret in absentia, quâdo scilicet Confessarius non esset præsens pœnitenti.

Secundò displicet illa responsio, quia ad hoc, ut confessio, quæ fit per interpretem dicatur propriè, & in rigore fieri in præsentia Confessarii, non sufficit, quod Confessarius sit præsens, quando Interpretis loquitur, sed etiam quando pœnitens loquitur interpreti & manifestat ei sua peccata. Ratio autem à priori est, quia confessio est manifestatio, quæ pœnitens Confessario manifestat sua peccata; sed hæc manifestatio non est sola loquutio Interpretis, sed constat ex loquutione pœnitentis ad Interpretem, & Interpretis ad Confessarium, nam sola loquutio Interpretis secundum se non est loquutio pœnitentis, sed hæc proptèr procedit à pœnitente: ergo si Confessarius solum est præsens, quando Interpretis narrat, quæ audiuit à pœnitente non verò quâdo pœnitens committit Interpreti, ut canatret, non fit confessio coram Sacerdote nisi inadæquate, unde licet non fiat tota confessio tunc in absentia, sit tamen partialiter in absentia, atque adeo non fit tota in præsentia.

Confirmatur exemplo matrimonij, cui debet esse præsens Parochus quando coniuges expriment suum consensum, vnde si matrimonium, proptèr contingere potest: fiat per Interpretem, eo quod Parochus ignorat idioma contrahentium, & Parochus audisset solum Interpretem absentes, vel tacentibus omnino coniugibus, qui ante Parochi adventum dixerunt Interpreti suum consensum, non esset validum matrimonium, quia non explicaretur consensum coram Parocho, sed debet utrumque coram Parocho fieri, nempe loquutio contrahentium, & explicatio interpretis: ergo similiter, ut confessio fiat per interpretem coram Sacerdote, debet pœnitens coram Sacerdote se accusare, & Interpretis etiam illam accusationem explicare.

Vnde infero, si matrimonium fiat coram Parocho per Interpretem, & Parochus non attendit, nec advertit quando contrahentes Interpretem loquebantur, & dicebant suum consensum, nec eorum gestus, aut verba aliquo sensu percipit, non sufficere quod audiat solum Interpretem ad valorem matrimonij; quia non est præsens humano modo consensui per contrahentes explicato. Similiter, si Confessarius sit quidem præsens, sed nullo modo advertit, aut sensu aliquo percipit pœnitentem interpreti loqui, non fit illa confessio sufficienter in præsentia Confessarii: rursus si pœnitens coram Confessario dicat sua peccata Interpreti, & ea Confessario explicet; & dum Interpretis ea explicat, pœnitens discedat ad alium locum, non fit ea confessio sufficienter in præsentia Confessarii: alioquin posset pœnitens dicere Confessario, acculo me de peccatis, quæ tibi Petrus meo nomine statim narrabit, & statim abire, dum Petrus confessionem à pœnitente acceptam Confessario refert; quem tamen modum confitendi validum non esse ostendimus supra disp. 13. sect. 5. quia tunc confiteretur aliquis verè per internuncium, & in absentia. Ratio autem est, quia non satisfacit obligationi comparandi coram Iudice, & accusandi se coram illo, si pœnitens non est præsens coram Iudice tunc quando se accusat: accusatio autem fit quando Interpretis loquitur, tunc enim Confessarius percipit delicta: ergo tunc etiam debet esse præsens reus, ut se coram Iudice accuset.

Tertia

71. Tertia ergo aliorum responsio est Decretum Clementis loqui solum de confessione speciali peccatorum, quæ ordinario modo fit de peccatis in particulari: decretum verò Leonis loqui solum de confessione generali, quæ fit per signa contritionis, & petitionem penitentiae, atque adeo non esse decreta illa contraria, quia non loquuntur in eodem casu. Hanc responsionem refert Magister Alvarez numero 54. & mitius illam rejicit, dicens, adhuc habere suam difficultatem, nam ex illa sequitur, quod saltem in casu necessitatis confessio sacramentalis generalis esset aliquando licita; unde non apparet, cur in eodem casu necessitatis confessio unius peccati venialis per litteras, vel internuncium non esset etiam valida, & licita, cum nullum maius inconueniens ex hac confessione sequatur, quam ex confessione generali, & aliunde magis vitaretur periculum nullitatis, cum sit multorum sententia, non sufficere confessionem generalem ad valorem Sacramenti etiam in praesentia nisi dicatur aliquod peccatum in particulari.

72. Ideo posset hæc responsio paulò aliter explicari, ut vitentur hæc inconuenientia, dicendo cum aliis, confessionem dupliciter sumi posse; nempe vel strictè, vel in magis vniuersali significatione. Confessio strictè est accusatio, quia in actu secundo aliquis se iudicialiter accusat, ut quando Reus in iudicio interrogatus, confiteatur iudici suum crimen coram Iudice & Notario. Confessio minus strictè, & in vniuersaliori acceptione, extenditur ad ea, quæ præcedunt, ut cum reus dicit, ego volo confiteri meum delictum, de quo sum accusatus, vel quando ad hunc finem vocat Iudicem & Notarium, ut audiat eius confessionem, qui paratus est, iam ad confitendum: quæ quidem in latiori significatione dicitur etiam confessio, eo quod implicitè videatur iam reus confiteri suum delictum. Solet tamen vocari voluntas, seu propositum confitendi, ut distinguitur ab illa confessione stricta, quæ reus in actu secundo, & explicitè confiteretur delicta, & quidem confessio strictè, nisi fiat coram Iudice, & Notario, &c. non est valida, nec appellatur confessio iudicialis: illa autem alia confessio fieri etiam potest, & communiter fit ante Iudicis aduentum, quia est confessio extraiudicialis; quæ tamen aliquando habet suos effectus, & prodesse potest, atque admittitur à iure in multis casibus. Hac ergo duplici confessionis acceptione supposita conciliare possumus illa Pontificum decreta, si dicamus, decretum Clementis loqui de confessione stricta, & primo modo accepta, cum enim odiosum sit, debet in sensu magis stricto intelligi: & ratio id suadet: ideo enim confessio sacramentalis requirit præsentiam Confessarii, quia per illam satisfacit penitens obligationi, quam ex Christi præcepto habet sistendi se coram legitimo Iudice, & confitendi sua delicta: hæc autem obligatio non est, nisi ad confessionem strictam & explicitam, quæ iuxta leges etiam est actus personalis, qui fieri debet coram Iudice, comparando personaliter in iudicio. Voluntas verò confitendi, seu confessio antecedens, & preparatoria non requirit talem præsentiam. Loquitur ergo Clemens de Confessione sacramentali strictè. At verò Sanctus Leo, & Concilia supra adducta dicunt, in casu necessitatis posse admitti ad effectum absolutionis confessionem illam quasi extraiudicalem, & magis vniuersalem, quam penitens facit, dum ad finem confitendi vocat Confessarium, & implorat eius officium: dixit quasi

extraiudicalem, quia in aliquo sensu verè est iudicialis; cum ordinetur ad iudicium penitentiale, & sit pars Sacramenti, & materia illius. Quod tamen, ut melius distinguere à confessione magis stricta, noluerunt Patres illi appellare confessionem sed desiderium, vel voluntatem confitendi: quibus verbis loquitur etiam Paulus V. in suo Rituali, ut non contradicat Decreto Clementis, quod ab eodem Paulo confirmatum fuerat anno 1605. ut vidimus, & tamen anno 1614. dixit desiderium confitendi in absentia, & per alios manifestatum sufficere ad absoluendum infirmum, quia nimirum præsentia, quam confessio stricta exigit non ita exigitur ad ostendendum desiderium confitendi, & ad confessionem magis vniuersaliter acceptam.

73. Confirmatur primò hæc responsio ex ipso contextu Ritualis, in cuius verbis hæc ipsa confessionis distinctio & duplex acceptio significari videtur. Dicit enim, si antequam incipiat confiteri, vox, & loquela egrum deficiat si confitendi desiderium, siue per se, siue per alios ostenderit absoluendum est. Vbi apertè significatur ipsum confitendi desiderium ostensum per se, vel per alios non fuisse confessionem strictè acceptam; alioquin repugnantia esset, quod antequam confiteri incipiat, & loquela deficeret, desiderium confitendi ostendisset, si hoc ipsum ostendere tale desiderium esset confessio strictè sumpta: nam eo ipso, quod vocasset Confessarium, iam incepisset confiteri. Supponitur ergo, quod nondum confessio incepta esset, quod de confessione strictè sumpta intelligi debet: quod licet præcedat, adhuc dicitur nondum accepta confessio stricta quæ se coram Confessario explicitè, & in actu secundo accusat, licet posita fuerit confessio aliqua minus stricta, & in magis vniuersali significatione, quæ in casu necessitatis sufficit ad sententiam absolutiorem proferendam, iam enim implorauerat Iudicis officium, & aliquo modo sua delicta confessus fuerat.

74. Confirmatur secundò, quia si desiderium confitendi intelligeretur à Clemente nomine confessionis in suo decreto, sequeretur, prohibitum iam esse explicare tale desiderium in absentia Confessarii, quia Clemens dixit in nullo casu licere in absentia Confessarii confiteri confessione illa, de qua ibi loquebatur. Consequens autem absurdum est, ut constat: ergo fatendum est, Clementem nomine confessionis non intellexisse illam, quæ includitur in expressione desiderij confitendi, sed aliam magis strictam.

Dices, velle confiteri, non esse verè confiteri; velle enim sumere Eucharistiam, aut velle ieiunare, non est verè sumere Eucharistiam, aut ieiunare, ergo nec velle confiteri, & ostendere hanc voluntatem, erit vilo modo confiteri; quare iuxta hanc interpretationem dicendum erit, quod absolutio confertur nulla præcedente confessione. Respondetur ex dictis negando consequentiam: quia qui vult sumere Eucharistiam, aut ieiunare, non habet vilo modo talem actum, sed solum in voto. At verò qui ostendit, & dicit se velle confiteri, eo ipso confitetur: nam confiteri in genere loquendo est dicere, & fateri proprium delictum: qui autem dicit se velle confiteri suum delictum eo ipso dicit, & fateretur se habere delictum, quod confiteatur: non potest ergo ostendere voluntatem confitendi, quin eo ipso aliquo modo confiteatur in actu exercitio suum peccatum saltem in genere.

75. Confessio itaque aliqua necessaria est ad valorem

rem huius Sacramenti in quolibet casu: confessio verò stricta necessaria est per se loquendo, unde quanto Tridentinum sess. 14. c. 5. & can. 7. dicit, ad remissionem peccatorum necessariam esse de iure diuino confessionem; loquitur quidem de confessione stricta, sed de necessitate per se loquendo, quod aperte constat ex eo, quod non solum dicit, necessariam esse confessionem, sed confessionem omnium peccatorum, & circumstantiarum, quæ peccati specie mutant, quam confessionem certum est requiri per se loquendo, non verò in casu necessitatis, quo homo per accidens excusetur à confessione omnium, & singulorum peccatorum. Quando verò in eodem Concilio eadem sess. 6. 3. & can. 4. dicitur tres esse huius Sacramenti partes ad integram, & perfectam remissionem peccatorum ex Dei institutione requisitas; contritionem, confessionem, & satisfactionem; potest intelligi de necessitate simpliciter, & tunc nomine confessionis intelligitur confessio in significatione magis vniuersali: si verò intelligatur de necessitate solum per se: nomine confessionis poterit intelligi confessio stricta, sicut dicitur in eisdem locis necessaria etiam satisfactio, quæ tamen non est necessaria, nisi per se loquendo; cum sine illa possit dari Sacramentum validum, denique quando can. 9. dicitur: Si quis dixerit, non requiri confessionem penitentis, ut Sacerdos eum absolvere possit, anathema sit: quamvis auctores illi, quos adduxi sectione præcedenti, dicentes, posse absolui moribundum, qui confessionem non petit, intelligant prædicta verba de necessitate solum, qua per se requiritur confessio ad absolutionem, sicut etiam prærequiritur confessio omnium peccatorum; melius tamen intelliguntur, de omnimoda necessitate aliquius confessionis, non tamen confessionis in significatione magis stricta, sed magis vniuersali, ut explicatum est.

76.
Testimonium
Archiepiscopi
Armacani.

Hunc modum conciliandi prædicta decreta Pontificum, & Conciliorum, ac Romani Ritualis, quem iam diu aliis omnibus præferebam, inueni postea breuiter, sed eodem omnino sensu approbatum ab Illust. Archiepisc. Armacano, qui in Epistola quadam, & responso dato ad P. Coninch. 6. Iunii anno 1624. testatur, se rem hanc cum eodem Clement VII. communicasse, eiusque sententiam Pontifici probatam fuisse, quod responsum licet idem Pater Coninch referat in illo opusculo de absolutione moribundi in fine; adhuc volui hoc loco transcribere, quia rem totam breuiter & doctè complectitur; cuius verba sunt hæc.

Occurrente casu quo quispiam etiam sit tunc demum quando videat se in periculo vite constitutum, declarat sine voce, sine scripto, sine aliquo quocumque signo exteriori se velle sacramentaliter confiteri: si superueniens postea Confessarius, reperiat eum magnitudine periculi, in quod incidit, ita aggravatū, ut licet adhuc spiret, tamen nec confessionem facere possit, nec in presentia illius dare ullam significationem voluntatis confitendi, quam antea declarauit se habere. Queritur, an possit nihilominus eundem Confessarius sacramentaliter absolvere.

77.
Archiepisc.
Armacani.

Pro solutione istius casus, quæ & conformis planè sit antiquis canonibus, & nominatim doctrina S. Leonis Magni epist. 91. ad Theodorum Foroiulensem Episcopum, & pariter in nullo dissentiat à decreto, quo Clemens VIII. prohibuit, & damnauit hanc propositionem, licere per litteras, seu internuncium Confessario absolutionem obtinere. Obseruandum est, esse rem distinctam, confessionem sacramentalem, & voluntatem, seu votum, aut desiderium sacramentaliter confitendi, id est confessionem eiusmodi re ipsa factam, vel attentatam, & tantum in voto, seu desiderio habuam.

Rursum votum, seu desiderium ita confitendi posse esse vel internum tantum, quod perinde solum Dei iudicio sit subiectum, vel exterius etiam signis declaratum: per quæ innoteat Confessario, eum, qui absoluentis est, eiusmodi desiderium seu votum habere, sine illa signa sint exhibitæ in presentia ipsius Confessarii, ita ut ab ipso audita sint vel visa, sine in ipsius absentia, ita ut non nisi per testimonium aliorum, qui audierunt, vel viderunt, notitiam de illis acciperit.

Quamobrem sunt etiam distinctæ quæstiones, quarum vna proponebatur: vtrum liceat per litteras, seu internuncium Confessario absenti sacramentaliter confiteri. Altera adhuc queritur: an quando aliquis in absentia Confessarii declarauit aliquo signo exteriori se velle sacramentaliter confiteri, si superueniens Confessarius eum inuenit ita constitutum, ut non tantum non valeat peccati ullius confessionem facere, sed nec illius sua voluntatis signum aliquod in presentia ipsius exhibere; possit nihilominus ex notitia per testimonium aliorum accepta de signo ante aduentum suum exhibitio, eum sacramentaliter absolvere.

Quæ cum ita se habeant, Clemens VIII. decreto suo merito damnauit, ac prohibuit quod in prioribus quæstione proponebatur, scilicet, litteras, seu internuncium Confessario absenti sacramentaliter confiteri: hoc nimirum sensu, ut sic facta confessio censenda sit sacramentalis: eaque damnatio, ac prohibitio conformis est doctrina Conc. Trid. in qua traditur, quod Christus Dominus, eos qui se post Baptismum crimine aliquo contaminauerint, ante tribunal sacramenti Pœnitentiæ tanquam reos sisti voluit.

Sed quod posteriorem quæstionem, cum non tantum sit certissimum, Clementem Pontificem non intendisse damnare, seu prohibere, quod quispiam per litteras, seu internuncium Confessario absenti delectet se velle ei confiteri, ideoque eum accersat, ut presenti confiteatur, sed etiam mihi semper fuerit persuasissimum, quod incidente casu, qui in quæstione illa exprimitur, Confessarius superueniens possit, ac debeat sacramentaliter absolvere iuxta antiquos canones, & nominatim iuxta doctrinam S. Leonis Pape in citata sua decretali, in qua, quod agat de sacramentali absolutione etiam intellexit S. Thomas 3. part. quæst. 84. art. 3. ad 2. Hoc ipsum priuim communicauit Clementi Pontifici, idque postquam in officio sanctæ Inquisitionis improbatum esset interpretatio sui decreti à Theologo quodam facta, tanquam non esset in eo damnata, ac prohibita vitæque diuini paræ propostæ quæstionis; ac respondit mihi sua Sanctitas non fuisse sibi propositum damnare, seu prohibere, quod absolutio sacramentalis impendatur, incidente casu expresso in posteriore illa quæstione. Sic restor anno 1624. 6. Iunii, vti adhuc feci ante annos aliquot.

Petrus Lombardus Archiepiscopus
Armacanus, Primas Regni Hiberniæ.

Hæc ille in eo responso, de cuius fide, & autoritate modò non disputo; in quo id desiderati posset, ut non ita nudam confessionem in voto appelleret illam, quæ in nostro casu interuenit, seu merum desiderium confitendi, ut non sit etiam confessio rei ipsa posita, licet non in stricta, sed magis vniuersali significatione, ut dictum est.

SECTIO V.

§. 1. Explicantur aliquot dubia circa precedentem doctrinam.

^{80.} ^{An sufficiat} ^{1/2} ^{se media} **R**estat examinare aliqua dubia, ex quorum resolutione magis declarabitur præcedens doctrina. Primum esse potest, an possit Sacerdos absolute moribundum, quando ij, qui testantur de voluntate, & petitione confessionis, non audierant hoc ab ipso infirmo, sed ab aliis, atque adeo non sunt testes immediati, sed mediati. Ratio dubitandi esse potest: quia in prædictis decretis videtur requiri testimonium eorum, qui ab infirmo audierant. Sic loquitur Concil. Carthagin. IV. *can. 67.* *supra adductum, ubi dicitur, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat penitentiam.* Et idem colligi potest ex verbis Eusebii Papæ supra relatis, dicit enim: *si idonea testimonia habuerit, quod ipse penitentiam petisset, &c.* Testimonia autem idonea non sunt, quæ non ex visu, sed ex eorum narratione feruntur.

^{81.} Cæterum dicendum videtur sufficere in casu necessitatis eam notitiam, quæ ex testibus mediatis haberi potest. Nam notitia mediata notitia est, & quæ sufficit ad alios effectus, in quibus maior certitudo requiritur. Nam si de Baptismo alicuius parvuli, vel etiam adulti quæretur, & non adsit qui eum baptizavit, sed alius fide dignus, qui dicat se ab ipso audisse, quod eum baptizaverit, vel etiam per internum fide dignum id testatur, habebitur pro baptizato; quanto magis sufficiat hæc notitia ad absolvendum in eo periculo, in quo absolutio prodesse potest, & non nocere? Vnde in Rituali Romano non alligatur ad testimonium immediatum, sed generaliter dicitur: *Si confitendi desiderium per se, vel per alios ostenderit, absolvendus est.* Ostendit autem per alios, qui per alios mediata id manifestat, sicut Deus loquutus dicitur populo suo per Prophetas, licet non omnes audierint immediate ipsos Prophetas, sed alios, quibus Prophetæ immediate loquuti fuerant. In quo sensu videntur etiam intelligenda verba Leonis supra adducta, quibus generaliter dicitur, *testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debent.* Ad quod etiam asserti potest exemplum confessionis, quæ fit per interpretem: posse enim contingere, quod non sufficeret vnus Interpretes, sed requirentur duo, qui inter penitentem, & confessarium intercederent: v. g. si Græcus confiteretur cum Latino, & vteretur interprete Gallo, qui & Græcum idioma intelligeret, & Gallicè explicaret, non Confessario, quia nec Gallicam linguam intelligeret, sed Italo laico, qui rursus Italicè idem explicaret Confessario: tunc enim confessarius contentus esset notitia accepta non ab eo qui immediate à Penitente acceperat, sed ab alio qui mediata acceperat à penitente. Cur ergo in casu nostro non posset simili notitia à penitente accepta per duos intermedios, quorum vnus altero mediante eam notitiam accepisset? Hoc idem si in matrimonio accideret, crederem valere matrimonium, quod per duos interpretes fide dignos celebraretur, quorum alter alterum interpretaretur; quando ergo petitur in casu nostro testimonium alterius de voluntate confitendi, quam infirmus ostenderit, non petitur testis omni exceptione maior, & iudice legitimus, qui de visu testificetur, sed testimonium iuxta præsentem materiam, quæ in nullo præiudicium, atque adeo tale, ut possit pro-

babiliter credi rem ita esse, quod confessionem petierit.

Vnde à fortiori resolui potest secundum dubium, an scilicet si sufficiat vnus testimonium, an verò requirantur plures. Nam in supra adductis decretis videtur esse sermo de pluribus. Sic dicitur in Arausicano: *Si voluntatis præterita testimonium aliorum verbis habiat: & in Carthagin. IV. dicitur: dent testimonium, qui eum audierunt: & in decreto Eusebii dicitur: Si idonea testimonia habuerit; & in decreto Leonis dicitur, testimonia eis fidelium prodesse debent: & denique in Rituali Romano dicitur: Si confitendi desiderium, siue per se, siue per alios ostenderit. Vbi semper testes, & testimonia in numero plurali designantur.*

Dicendum tamen est sufficere testimonium vnus, quod expresse notarunt alij: Ioannes Sancius in *select. disp. 44. numero 35.* qui citat alios, & Diana dicto tract. de absol. morib. resol. 8. ubi assert alios plures. Ratio autem est, quia ubi non agitur de præiudicio alterius creditur vni testi: & sicut diximus non requiri probationem iuridicam per testes oculatos; sic dicendum est non requiri probationem plenam iuridicam per duos testes. Nec obstant verba illorum decretorum, quia illa intelligi debent in sensu distributivo, non copulativo: nam si intelligerentur in sensu copulativo, requireretur testimonium omnium circumstantium propter verba illa vniuersalia: *dent testimonium, qui eum audierunt.* Sicut ergo non requiritur omnium eorum testimonium, ita nec plurium, sed cuiuslibet ex pluribus, vel ex iis, qui audierant. Ut si in Conciliis dicatur animam defuncti posse iuari aliorum fidelium suffragiis, non est sensus, quod non prosint ei suffragia vnus solius, sed est sensus distributivus, quod singulorum suffragiis possit iuari.

Notant item prædicti Auctores non requiri, quod testis ille sit fidelis: potest enim sufficere infidelis, vel Hæreticus, quando credibile sit in hoc casu ipsum non mentiri: quod verisimile erit, cum sua nihil referat, quod infirmus absoluatur; imò ex infidelitate magis inclinaretur ad impedendum Sacramentum, quare testificatio magis procedere videtur ex affectu erga infirmum, cuius desiderio, vel petitioni vult satisfacere eo modo quo potest.

§. 2. Antestimonium hoc debeat dari coram ipso infirmo, ut possit absolui.

^{84.} **T**ertium dubium, & maioris momenti est, an si is, qui audit infirmum petentem confessionem, inueniat Sacerdotem in itinere, & hoc ei manifestet, possit Sacerdos ex vi huius notitiæ absolute moribundum, quem postea inuenit solum sensibus destitutum, licet non repetatur coram infirmo illud testimonium; quia, qui audierat, iam discessit ad alium locum. Negant posse tunc absolui illi, qui dicunt, in casu propositæ questionis confessionem fieri præfenti Confessario per interpretem, & idem non esse contra Decretum Clementis VIII. Nam si confessio fit tunc, quando testis dicit infirmum petiisse confessionem, consequens est, ut debeat fieri, quando Confessarius præfens est penitenti: alioquin confessio fieret in absentia, si solum in itinere id audiisset Sacerdos. Propter hoc fundamentum hanc sententiam amplexus est Diana loco citato, *resolut. 7.* adducens in sui fauorem quamplures, qui tamen solum dicunt decretum Clementis intelligendum esse non solum in sensu complexo, sed etiam in sensu

^{82.}
An sufficiat vnus testis.

^{83.}
Quid si sit infidelis.

sententiâ diuiso, ita ut nec absolutio, nec etiam confessio in absentia, aut per literas, vel internuncium fieri possit, quod nos non negamus. Sed questio est, an in casu præsentis dubij ita fiat. Potest autem ea sententia confirmari ex verbis Leonis Papæ sæpè citatis, in quibus dicitur: *Testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debeant*: ubi testimonium à præsentibus videtur requiri.

85. Alij tamen generaliter loquuntur, & volunt, quomodocumque illud confitendi desiderium Confessario innotuerit, posse Sacerdotem, absolute poenitentem præsentem sensibus destitutum. Pro qua sententia plures affert idem Diana loco citato, dicens illam esse probabilem, quod idem affirmat Bonacina in eam magis inclinans in præsentibus *disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 2. §. 4. num. 10.* Et in noua editione *rom. 3. disp. 2. de Confessione, q. 3. punct. 33.* ubi dicit, ita Romæ à multis iudicatum fuisse, quod quidem videtur esse omnino iuxta mentem, & verba Pauli V. in Rituali Romano, ubi absque ulla limitatione, aut distinctione dicitur: *Si desiderium confitendi per se, vel per alios ostenderit, absoluen- dus est.* In casu autem posito verificatur tota illa conditio, cum infirmus per alios desiderium confitendi ostenderit: ergo iuxta regulam illam à Pontifice propositam absoluen- dus est. Quod ipsum ex aliis decretis supra adductis colligitur; quæ absque tali limitatione loquuntur. Sic enim in Arausicano dicitur: *Si voluntatis præterita testimonium aliorum verbis habeat.* Et in Carth. dicitur, *Dent testimonium, qui cum audierunt.* Et in decreto Euseb. Papæ dicitur: *Si idonea testimonia habuerit, quod ipse poenitentiam petiisset.* Denique S. Thomas in dicto Opusculo. 65 generaliter dixit: *Si infirmus, qui petit absolutionem, amisit notitiam, vel loquelam, antequam Sacerdos adueniat, debet à peccatis absolui.* Cum ergo non petatur talis conditio testimonij in præsentia ipsius infirmi exhibendi, non est, cur à nobis talis conditio apponatur, & ita consequenter dicendum esse in hac sententia fatetur Aluarez illa *disp. 80. num. 53.*

86. Ratio autem sumitur ex dictis *sect. præcedent.* quia nimirum illa non est confessio strictè, sed magis vniuersaliter sumpta, quæ in defectum strictæ confessionis acceptatur ad proferendam sententiam absolutionis. Decretum autem Clementis VII. loquitur, ut diximus, de confessione strictè accepta, quæ fieri non potest validè, aut licitè, nisi in præsentia Confessarij. Nec obstant verba Leonis Papæ: nam ipse mentionem fecit testimonij circumstantium, quia ita communiter fieri solet, quod præsentibus sint, qui testantur voluntatem, & desiderium infirmi. Sicut ob eandem rationem dixit, *testimonia fidelium circumstantium*: quia nimirum semper solent illi esse fideles, & tamen si fideles non essent, sed infideles, fide tamen digni, & de quorum veracitate non dubitaretur, non negaret Leo illud testimonium sufficere; parum enim refert character testificantis, cum testificatio illa non ordinetur ad conferendum sacramentum ipsi testificanti, cuius infidelis non esset capax, sed solum ad manifestandam voluntatem infirmi, & ad faciendam fidem de illa, ad quæ non est incapax infidelis. Sicut ergo non alligatur S. Leo ad testimonium fidelium, ita nec ad testimonium solum circumstantium.

An non solum possit, sed debeat Sacerdos absolute in casu præsentis questionis.

87. Quid dubitatur, an concurrente illo casu possint Auctores contrariæ sententiæ non ab-

solvere moribundum, de quo circumstantes testantur petiisse confessionem. Affirmant aliqui ex iis, præsertim Aluarez *dicta disp. 80. numero 55.* & Franciscus Coquerius in *dissertatione de confessione per Literas* apud Coninch. *dicto opusculo de absolutione moribundi, num. 64.* Negant tamen communiter Doctores, Suarez, Valquez, Coninch, Turrianus, Ioannes della Cruz, Regius, Megala, Turrianus, Franciscus, Montefinus, Ioann. Sancius, & alij, quos congerit, & sequitur Diana loco citato, *resolut. 9.* Ratio autem est clara: quia ad minus nostra sententia probabilis est, & per consequens talis, ut possit eam Sacerdos ita conscientia amplecti: quoties autem potest absque graui incommodo subuenire proximo grauius periclitanti circa æternam salutem, ad id tenetur: ergo cum possit prodesse moribundo talis absolutio, & absque graui incommodo suo possit Sacerdos eam impendere, ad id tenetur.

Dices regulam illam fallere in iis, quæ spectant ad conficienda Sacramenta, in quibus non possumus ob Sacramenti reuerentiam vii materia, vel forma probabili, ne exponatur periculo irritationis. Sed contra, quia doctrina illa non est vniuersaliter vera, ut cum aliis multis dixi *disputat. 8. de Sacramentis in genere, sect. 9.* Deinde certum est, obligationem illam adhibendi materiam certam ob reuerentiam sacramenti non procedere, quando non habetur certa materia, sed probabilis, imò etiam dubia: tunc enim melius est subuenire proximo cum Sacramento probabili, vel etiam dubio, quam relinquere illum sine villo Sacramento, ut in eodem loco cum communi sententia latius ostendi.

Dicunt tamen nostram sententiam non esse probabilem, sed omnino improbabilem, atque ideo non posse sacerdotem licitè iuxta illam operari: multò ergo minus ad id tenetur. Ad hoc tamen respondere non oportet: quid enim faciet opinionem probabilem, si viginti, aut triginta Doctores, in quibus sunt quamplures ex primis nostri temporis, ad id non sufficiunt? Ad minus sufficeret auctoritas Pauli V. qui sententiam illam in suo Rituali toti Ecclesiæ proponit; auctoritas Eminentissimorum Cardinalium, & aliorum doctissimorum virorum, qui diligenti studio ritus illos examinarunt, ut ipse Pontifex testatur; auctoritas Ecclesiæ, quæ illud Rituale cum debita reuerentia accepit. Si hæc omnia sufficere non vis ad probabilitatem saltem extrinsecam huic sententiæ conciliandam, contendendum amplius non est.

§. 2. *An debeat Sacerdos in prædicto casu sub conditione solum explicata absolute.*

Certum est in primis, non esse obligationem exprimendi exterius illam conditionem, si possumus: sufficit enim, si concipiatur interius. Certum item est, semper adesse conditionem implicitam: nemo enim intendit dare absolutionem impossibilem, sed illam quam potest. An debeat illam conditionem mente saltem explicare: communiter dicunt absoluen- dum esse implicite sub conditione. Ita loquitur Suarez in præsentibus *disp. 23. sect. 1. numero 12.* Alij dicunt, absoluen- dum saltem sub conditione; per quod indicant, non esse obligationem addendi conditionem. Ita loquitur Coninch *dicto Opusculo. num. 64.* Alij tamen dicunt superfluum esse addere eiusmodi

eiusmodi conditionem ita loquitur Vasq. in *presenti* *quest. 91. art. 2. dub. 1. n. 39.* quem sequitur Ioannes Sancius in *selektis disp. 44. n. 32.* & videtur magis iuxta mentem Ritualis Romani, in quo nihil dicitur de tali conditione adiungenda, sed absolute dicitur absolvens infirmus, Neque etiam in antiquis decretis, quæ attulimus, villa sit mentio conditionis apponendæ. Si autem esset talis obligatio moniti fuissent Sacerdotes, ne in re ad eam gravi errarent, pro ut moniti sunt de apponenda conditione, quando baptizant aliquem, de quo dubitatur, an fuerit antea baptizatus.

91. Cur autem magis apponenda sit conditio in casu illo baptismi, quam in nostro. Ratio est, quia ibi agitur de dubio proprio, in quo non potest Minister iudicare baptismum nunc valde confectum. At verò in casu nostro habet assensum ad minus probabilem de valore absolutionis: quando autem operamur ex assensu probabili, operari possumus absolute absque alia conditione apponenda: quia assensus præcedens absolutus est, licet sit probabilis. Unde cum proportionem debitam idem dicendum erit de absolutione, quæ debet etiam sub conditione dari, quando datur cum vero dubio, verbi gratia, si dubitat Sacerdos, an signa ab infirmo exhibita fuerint ad significandum dolorem de peccatis, & voluntatem absolutionis: an verò ex dolore morbi. Item an quando dixit se velle confiteri, esset compos sui, an impositus, & sine rationis usu. In his enim, & similibus casibus propter reverentiam Sacramenti absolutio impendi debet sub conditione explicita interius concepta. Et hæc sufficiant de hac controversia.

DISPUTATIO XVIII.

De Ministro Sacramenti pœnitentiæ,
& primum de Ministro legitimo
in mortis articulo.

SECT. I. *An solus Sacerdos sit minister in hoc Sacramento: vbi? An Laicus possit in aliquo casu absolvere?*

SECT. II. *De ministro huius Sacramenti in articulo mortis.*

SECT. III. *Appendix ad supradicta de peccatis venialibus, & mortalibus antea confessis: quis sit in ordine ad illa legitimus minister.*



VAMVIS ordo doctrinæ videretur alicui fortasse exigere, ut post explicatas alias duas partes materiales huius sacramenti, scilicet contritionem, & confessionem, ageretur de tertia, nempe de satisfactione; aliunde tamen magis videbitur congruere, ut prius de legitimo ministro dicamus; tum quia confessio ipsa non satis explicatur sine suo termino; debet enim confessio esse legitima, hoc est, quæ legitimo iudici fiat, ad quod necesse omnino est scire, quis sit legitimus Iudex respectu singulorum, & cui debeat legitima confessio fieri. Tum etiam, quia Tractatus de satisfactione trahit secum alia, nempe de satisfactione in communi, de suffragiis, de indulgentiis, quæ omnia connexa sunt in ordine ad doctrinam, & quæ si in hoc loco traderentur, videretur nimium interrumpi ipsa sacramenti explicatio, idè videtur magis de re esse, si totum id, quod pertinet ad Confessarium, seu Ministrum, hoc loco disputemus: & postea expediri iam à Sacramento, quoad essentialia, possumus in calce materiæ de satisfactione tractare.

P. Ioann. de Lugo de Pœnitentia.

SECTIO I.

An solus Sacerdos sit Minister in hoc Sacramento: vbi? An Laicus possit in aliquo casu absolvere?

2. Conclusio est certa apud Catholicos, solum Sacerdotem esse Ministrum huius Sacramenti quæ definita est in Trident. sess. 14. cap. 6. his verbis: *Circa Ministrum autem huius sacramenti declarat sancta Synodus falsum esse, & à veritate Evangelij penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines, præter Episcopos & Sacerdotes clauum ministerium perniciosè extendunt & can. 10. Si quis dixerit non solos Sacerdotes esse ministros absolutionis, &c. anathema sit.* Fuit autem hoc definitum etiam in aliis Conciliis contra VVicleph. & alios hæreticos, quos referunt Vasquez 9. 93. art. 1. & Suarez disp. 24. sect. 1. Unde obiter inferitur eum, qui verè non accepisset ab Episcopo potestatem consecrandi, & offerendi sacrificium, siue propter defectum materiæ, siue propter defectum formæ, vel quemcumque alium non recipere postea validè potestatem absolviendi per illa alia verba: *quorum remissionis peccata remittuntur ei*, &c. sed debere repeti ordinationem, quoad utramque potestatem: quia licet prior possit accipi sine posteriori, non tamen è contra posterior sine priori: nec enim esse potest Minister huius Sacramenti, nisi solus Sacerdos: non est autem Sacerdos, qui potestatem offerendi sacrificium non habet, cum essentia Sacerdotij desumatur per ordinem ad oblationem sacrificij. Sicut ergo Christus voluit, potestatem, seu characterem Episcopalem recipi non posse nisi supposito sacerdotali; sic voluit potestatem absolviendi non posse recipi, nisi præsupposita potestate consecrandi: vel certè simul cum illa, pro ut confertur à Græcis, qui simul conferunt utramque potestatem suis Presbyteris. Constat autem hæc Christi voluntas ex perpetua Ecclesiæ traditione, quæ ab initio sic intellexit alligaram esse solis Sacerdotibus potestatem sacramentaliter absolviendi.

3. Hoc ergo supposito, dubitari posset primò An omnes Sacerdotes habeant hanc potestatem completam ad validè absolviendum ex vi suæ ordinationis. Sed in eodem Concilio Tridentino eadem Sessione 14. can. 7. definitum etiam est, non sufficere potestatem Ordinis, sed requiri etiam potestatem iurisdictionis ad absolutionis valorem; in quo autem differant hæc duæ potestates, & in quo singulæ consistant, explicuimus latè suprà Disputatione 17. sect. 2.

4. Secundò ergo dubitari potest, an in aliquo necessitatis casu confessio fieri debeat, vel possit Laico, & idem est de non Sacerdote, siue sit Diaconus, siue Religiosus. Quod etiam ex dictis faciliem habet resolutionem; cum enim definitum sit, solum Sacerdotem esse Ministrum huius sacramenti, certum est, sicut consecratio Eucharistiæ in nullo casu validè fieret à non Sacerdote, sic nec absolutionem sacramentalem. Solumque proponi solet hoc dubium propter nonnullos antiquos, qui significarunt, in casu necessitatis confessionem debere fieri cum Laico, si sit homo prudens, & sapiens. Quod videtur sensisse Magister in 4. dist. 17. capite 4. & Sanctus Thomas ibi quest. 3. art. 3. quest. 2. in solutione primi: ij tamen non loquuntur de confessione sacramentali, sed de confessione ad humiliationem pœnitentis, vel ad consiliū ordinata. Et quidem Theologi recentiores

M m aduertunt,